FR. ELIAE ASTORINI CARMELITAE CONSENTINI, ... PRODROMUS...

Elia Astorini

[redacted]

FR. ELIAE ASTORINI
Carmelitæ Consentini,

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Magistri, atque in Alma Senarum Universitate Publici Philosophiæ Professoris

PRODROMUS
APOLOGETICUS
DE POTESTATE SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE

AD SERENISS. ET REVER. D. PRINCIPEM CARDINALEM

FRANCISCUM MARIAM AB ETRURIA.

SENIS M.DC.XCIII.

Apud Bonettos Typis Publici
Superiorum Permissu.

SER.^ME AC REV.^MO PRINCEPS.

JAMDIU est, quòd ego mihi, meisque lucubrationibus prospexeram, né quod virium elargitus est DEUS, id ludicrarum subtilitatum aucupiis impenderetur. Sed enim ea mihi studia sacrarum Literarum adeunda erant, quibus

possem animum ego meum, & quicquid boni mecum est, Summo rerum Opifici acceptum referre, & ad quæ cùm olim Sancti Patres Latini, & Græci se totis viribus applicuissent, exindè quidem adeò periti evasere, qui mox omnium planè, quotquot Fidei Catholicæ nefarium bellum intulerunt, impetum propellerent, atq; Sanctam Matrem Ecclesiam Romanam sartam, tectamq; conservarent. Verùm aliò me meæ distraxissent curæ, & mirúm ni penitús obstitissent, quominús exequerer quod jampridem, & ferè vsque ab ineunte ætate deliberatum mihi, statutumq; fuerat, nisi in clientelam Regiæ Domus Tuæ me contulissem, undè mihi postmodum omne robur accessit, quo me demum excuterem, animum colligerẽ, & conarer exequi quód jam spontè mecum ipse constitueram, & diutissimè quidem expetivi. Nempe, (Quòd DEUS vertat bené!) in lucem

cem jam prodeo, controversias expensurus, quas sibi nobiscum esse voluerunt Lutherus, & Calvinus, atque nonnulli alii Divinarum, Humanarumque Legum eversores, operæque-pretium facturus, si Dissertationibus Apologeticis De Vera Ecclesia, De Sanctorum, atque Imaginum Cultu, De Purgatorio, De Sacrificio, Deq; Regimine Catholicæ Hjerarchiæ, *quas sigillatim evulgare constitui, hocce parvum Apologema pro Sāctæ Sedis Apostolicæ Auctoritate præmisero tanquam Prodromum, qui cæteris præiret. Idcircò autem quicquid hoc est operis, id Tibi*, SERENISSIME, *atq;* REVERENDISSIME PRINCEPS, *dedicandū censui, quia non modó Serenissimo Magno Duci Fratri Tuo, & Domino meo Clemētissimo, juxtaq; simul Tibi, Tuisq; Serenissimis Principibus Nepotibus debeo id, quod ex imo emerserim, atq; mox iterum animum ad hujusmodi*

modi

FR. DANIEL SCOPPA Sac. Theol. Magist., ac humilis Procurat., necnon Vicar. Gener. totius Ord. Fratrū B.V.M. de Monte Carmelo antiquæ Observantiæ Regularis.

AVctoritate nostri Officij præsentium tenore facultatem facimus R.P. Mag. Eliæ Astorino Carmelitæ Consentino in Alma Senar. Vniversit. Publico Philosophiæ Professori, typis mandandi opus, cuius titulus est, *Prodromus Apologeticus de Potestate Sanctæ Sedis Apostolicæ*; dummodo priùs examinetur; & approbetur à RR.PP.MM. Thoma Pauli Priore Nostri Conventus Senarum, & Angelo Paschali, in eodem Conventu Sac. Theol. Primario Regente, & in reliquis serventur, de jure servanda. Dat. Romæ die 1. Augusti 1693.

Fr. Daniel Scoppa Procurat. & Vicar. Gener. Carmelit.

Fr. Raphael Maria Bavaro Secr.

EX commissione Reverendiss. Patris Magistri Vicarij Gener. perlegimus opus hoc cui titulus *Prodromus Apoogelitcus etc.* & in eo non modo nihil reperimus contra fidem, vel bonos mores; verùm etiam omnia vertere in Incrementum veræ Fidei Christianæ. In quorum fidem &c.

Datum Senis die decimaquarta Augusti 1693.

Fr. Thomas Pauli S.T.M. ac Prior Conventus Senarum.

Fr. Angelus Paschali S.T.M. ac Regens Primarius dicti Conventus.

Imprimatur

Fr. Seraphinus Guttarellius Inquisit. Gener. Senarum.

Imprimatur

Horatius Picolomineus Arag. Vicarius Gener.

Leonardus de Astudillo Carillo Audit. Gener. pro S.C.S.

D. O. M.

PRÆFATIO.

*****

MIHI quidem, Lector mi Candide, certum eſt, non modò cauſa penitùs cecidiſſe quotquot Romanum Pontificem in jus trahere, atque uſurpati Oecumenici Principatus reum peragere conati ſunt, verùm etiam Scriptores, qui à partibus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſteterunt, complures fuiſſe, eoſq; non minùs morum probitate, quàm egregiâ doctrinâ conſpicuos: atque hinc nonnullorum animos admirationem fortaſſis non mediocrem invaſuram, quod ego, imi quidem ſubſellii homo, hac de re iterum con-

troverſiam mihi cum Proteſtantibus eſſe velim, eorum interim conatibus obſtiturus nonniſi parvo hoc opuſculo. Verùm longè major eſt eorum impudẽtia, quàm ut ipſi, ubi ſe victos ſenſerint, veritati, quantumvis detectæ, atque ob oculos illis poſitæ, deſinant refragari. *Anatomen Concilii Tridentini*, non multis ab hinc annis, inſtituendam ſuſceperat *Henricus Heideggerus*, Zvvinglii, Calvinique aſſecla, Papæ quidem Romano, juxtaque ſimul toti Eccleſiæ Catholicæ futuram admodum infauſtã, niſi fraudibus illum, doloque uſum fuiſſe pro cultro, ipſamque proindè anatomen injuſtam, nefaſtam, diram, atque omnino vitioſam eſſe, pateret luculentiſſimè. Statim ergo Heideggero ſe oppoſuit doctiſſimus Abbas Redingius, illius undique calumnias diluendo, atq; impetum propulſando. Verùm, tantum abeſt, ut impoſtorem Calvinianum propriæ ſuæ

temeritatis puduerit, pœnitueritque, ut potiùs ipſe neutiquam deſiſtat ab impetendo; Quinimo nova iterum, iterumque molitur volumina, quæ quidem rectiùs dixeris plauſtra mendaciorum, utpotè quibus, Papam tyrannidis, uſurpatæq; juriſdictionis ubique inſimulando, alterniſq; verbis ad Sacram Scripturam, atque ad conſenſum Sanctorum Patrum, Conciliorumque Generalium provocando, Thraſonem illic locorum agit, miſeramq; plebem technis, & fuco in fraudes illiciendo, ad id potiſſimum eluctatur, ut Summo Pontifici concitet odium omnium omninò gentiũ, Sanctamq; Romanam fidem in contemptionem adducat. Neque porrò mitiùs nobiſcum agunt Lutherani Auguſtæ, Lipſiæ, Tubingæ, Regiomonti, &c. Quò ſanè me continere vix poſſum, quin ego etiam, quantuluſcunque ſim, arma sumam, meamq; Sanctam Matrem Eccleſiam

proviribus tuear. Sed quid timerem? Novi ego, novi, quot pondo ſint Lutherani, & Calviniani, & quanam arte ipſi poſſint propriis ipſorũ armis jugulari. Nam neque teſtimoniis, quorum fides apud Proteſtantes suſpecta eſt, uti volo: Neq; multis opus habeo, sed tantùm iis, quæ mihi ad rem satis, & quæ jam animo teneo. Quid ſi adverſarii nihil habeant, quod regerant? Sed profectò non habent, niſi fortaſſis eâ, qua præditi sunt, verborum petulantiâ, obſtrepant, admordeant, convitientur. At at idcircò liber hic meus inſcribitur *Prodromus Apologeticus*, quia nempè cæteris, quas pro Sancta Romana Eccleſia molior, Apologiis, præcurrit. Tu verò interim, Lector mi, cura, ut valeas, & perpendas hæc æqua lance.

PRO·

PRODROMI APOLOGETICI

THEOREMA I.

Hierarchiam non subesse Imperatorum, vel Regum Potestati.

1. DIfficile admodum est, lites posse dirimi, nisi prius inter Disceptantes, de principiis quibusdam convenerit; atque adeò in disputationibus planè omnibus id ab initio cavendum, nè pro certo sumatur quod dubium, controversumque est. Quandoquidem ergo Protestantes inter causas, ob quas ipsi se Catholicæ Christianorum Societati subduxerunt, eam præsertim consueverunt prætexere, quod nempè dolo potiùs irrepserit in Ecclesiam quicquid auctoritatis sibi

vindicant Papæ, quàm quod id illis ipse Christus impertitus sit; idcircò mihi, eò jam demum conatus omnes meos inflectere cupienti, ut Sancta Sedes Apostolica vindicetur ab hæreticorum calumniis, sese primum offert perpendendum, quidnam de Supremo Ecclesiæ Magistratu senserint Patres, atque ratum, sancitumq; habuerint Concilia Oecumenica primorum quinque seculorum, siquidem illorum Conciliorum judicio Protestantes non refragantur; Et profectò non refragantur; Nam, [a] *Si posset ostendi pristina Roma, uti nimirum fuit ante duodecim, & tredecim secula* (si nempè Romana Ecclesia intra illa eadem jura, quæ ipsi detulit antiquitas se continere videretur) *ex corde se amaturos Catholicum nomen, & Catholicam pariter doctrinam, ipsi iidem Protestantes* de se pollicentur apud BREITINGERUM. Quinimò ipsis Catholicis se

[a] Opusc. de Sectis pag. mi. 28.

refe-

referentibus ad illud Divi GREGORII NAZIANZENI, quod nempè *Roma ab antiquis temporibus habeat rectam fidem, et semper eam retineat,* sese nuper opposuit Lipsiæ ADAMUS SCHERZERUS, Et [a] *Collige : (* inquit*) Ergo modernam Romam infallibilem statuit Nazianzenus? Affaniæ! Loquitur Gregorius de Roma sui temporis: Nazianzenus Propheta non fuit, ut prædicere potuerit, quid moderna Roma esset creditura.* Non diffitetur igitur hic hæreseos Lutheranæ Professor Publicus, nihil dum de recta fide decessisse ipsi Romæ usque ad tempora Nazianzeni. HEIDEGGERUS autem, dogmatum Calvinianorum propugnator Primarius, inficiari quidem non ausus, Ecclesiam Romanam dictam fuisse ab AMBROSIO [b] *Typum totius Ecclesiæ Christianæ;* [c] *optandũ tamen* (ait) *ut hodieque talis sit :* Optandum verò id non esset, nisi tem-

[a] Anti-Bellar. disp. 4. pag. 280.

[b] lib. 3. de Sacr. cap. 1.

[c] Anat. Cõcil. Trid.

poribus Sancti Ambrosii servasset adhuc Romana Ecclesia Evangelicam puritatem. Non modo ergo (id quod nuper è sua Lutherana Cathedra confessus est Regiomonti DREJERUS) [a] *Amplectuntur Protestantes Symbolum Nicanum, Constantinopolitanum, & Athanasianum, Anathematismos Ephesinos, Symbolum Chalcedonense, statuta Concilii Constantinopolitani secundi, & tertii:* atque signanter nomine totius Calvinismi MORNAEUS [b] sua quidem esse dixit *Concilia illa Universalia, Nicænum, Cōstantinopolitanum,* Ephe*sinum, & Chalcedonense;* verùm etiam à Lutheranis Calvinistæ, atque ab his illi (quod certè liquet ex [c] *Osiandro*, & [d] *Hottingero* insimulantur divortii, quod injustè utrinque fecerunt à sententia Sanctorum Patrum Antiquiorum: Neque negat CALVINUS [e] *In primorum Ecclesiæ seculorum Patribus floruisse Religionem,*

a Præf. ad Cōtroversias cū Pōtificiis.

b Præfat. ad Mysterium Iniquitatis.

c Enchirid. Cōtrov. cū Calv. c. 4.

d apud Heidegger. in vindic. n. 5

e Inst. lib. 1. c. 11.

gionem, & synceriorem doctrinam; Quin etiam,[a] *Hanc doctrinam synceram, inviolatamque, consensu unanimi, & Catholico, conservatam fuisse in veteri, Sanctaque illa* (n.b.) *& Orthodoxa Christi, ab ipsis Apostolorum temporibus, Ecclesia per integra secula sex, & multò plura,* non potuit non apertè fateri, quantumvis Zvvinglio mancipatus, HENRICUS BULLINGERUS. Benè ergo est, quòd Sententiæ Catholicæ de Sanctitate, ac puritate primorum Conciliorum, & Patrum calculum ipsi suum addant Protestantes; ità enim inter nos, atque illos convenit de Primis Principiis, unde poterunt Conclusiones deduci; atque adeo id unum expendendum superest, utrum nempè aliud de Principatu OEcumenico Summi Pontificis statuat, doceatque hodierna Ecclesia Romana, ab eo, quod ratum fuerat Conciliis, & Patribus primorum quinque seculorum,

[a] adversus Brentium lib. 7. partis prioris.

lorum, an verò ad hanc uſque diem̃ de antiqua ſemita nè per latum unguem ipſa deflexerit, neque aliud porrò ſentiat de Magiſtratu Hierarchico, quàm quod antiquitùs credebatur.

2. Sed jam illicò vnà secum commurmurantes hæretici: Si fuit olim (ajunt) tam magna, quàm quæ hodie tantoperè à Romanēſibus extollitur, Auctoritas Eccleſiæ Romanæ; Quî ergo fit, ut non Romani Antiſtites indixerint quatuor primas OEcumenicas, maximèque Authenticas Synodos? *Nicænam* quidem à *Conſtantino Magno* coactam fuiſſe, teſtis eſt [a] *Ruffinus* in ſupplemento Hiſtoriæ Euſebianæ, atq; id ipsũ præterea [b] *Epiphanii*, [c] *Theodoreti*, [d] *Socratis*, & [e] *Sozomeni* literis proditum eſt. Tum Patres ipſi *Synodi Conſtantinopolitanæ*, se quidem juſſu *Theodoſii Magni* Conſtantinopolim cõveniſſe ajunt in [f] *Epiſtola Synodica* ad eundem

a lib. 10. cap. 1. pag. 218.
b in Ariomanitis.
c lib. 1. c. 7.
d lib. 1. c. 5.
e lib. 1. cap. 16.
f tom. 1. Concilior.

dem Imperatorem: & satis liquet, quiſnam *Synodum Epheſinam* coegerit; Siquidem extant adhuc *Epiſtolæ*[a] *Theodoſii Junioris* ad Cyrillũ Alexandrinum, ubi luculenter oſtendit Imperator, se hanc Synodum indixiſſe: quod & referunt ejusdem Concilii Patres in[b] *Epiſtola ad Cæleſtinum Papam*. Poſtremò verò quis refragabitur, Imperatorem Epiſcopis injunxiſſe, ut *Synodum* celebrarent *Chalcedone*, ſi *Leo* ipſe Magnus, qui Romanam Eccleſiam tunc temporis moderabatur, id ultrò, & abſque ullis ambagibus faſſus eſt [c] in *Epiſtola*, quam hac de re ſcripſit *ad Pulcheriam Auguſtam*? Non ergo Paparum juſſu quatuor prima Concilia OEcumenica indicta fuere. Cæterùm tantundem auctoritatis, quantum jam demum ipſi ſibi arrogant, exercuiſſe Papas in ejuſmodi Conciliis celebrandis, non sanè dixerit is, cui pro comperto erit, ipſos

eosdem

[a] Epiſt. 4. & 17.

[b] Acta Cõcil. Epheſ.

[c] Epiſt. 51.

eosdem Imperatores istis Conciliis præsedisse, saltem *in externis*, ut loqui mavult Professor Regiomontanus, nimirum Nicæno Costantinũ Magnum: Theodosium Magnum Cõstantinopolitano: Ephesino Theodosium juniorem, & Valentinianum per Candidianum Comitem: atque Chalcedonensi Martianum; idque satis superque liquere ex [a] *Ruffino*, & [b] *Theodoreto*, necnon [c] ex *Actis Concilii Ephesini, et Chalcedonensis.*

a lib. 10. cap. 2. pag. 218.
b lib. 1. c. 7.
c tom. 1. Concil. Ephes. cap. 32. & act. 1. Chalced.

3. Hæc (inquam) effantur ii, qui videri cupiunt, se non immeritò ab unitate Ecclesiæ Catholicæ recessisse, & qui eò respiciunt quod ad parandas opes haud mediocriter adminiculetur assentatio. At si qui visi sunt usquam gentium caligare sub dio lucidissimo; hìc profectò vespertiliones agunt hostes Ecclesiæ Romanæ: Cùm enim *Potestas ligandi, atque solvendi á peccatis, & censuris, pascendiq; Verbo Divino, & Sacra-*

mentis

mentis oves Christi non sit concredita Imperatoribus, neque tam satis perspectum ipsi habeant statum Ecclesiæ, & controversiarũ Fidei, ut non certiores reddi debeant ab iis, qui partes substinent Pastorum, & quibus de Jure Divino ejusdemodi rerum inspectio commissa est; quî age fieri potuisset, ut suo tantùm lubitu hasce Synodos universales cogerent Constãtinus Magnus, uterq; Theodosius, & Martianus? Ecquis dicet in jura Episcoporum involasse Constantinũ Magnum, qui (teste RUFFINO) postquam se stiterat Nicæno Concilio,[a] *Deus Vos* (conversus ad Patres Conscriptos, dixit) *constituit Sacerdotes, & Potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur?* At pretium hîc potissimùm erit operæ, si ipsos eosdem, qui pars non minima fuere Cõcilii Nicæni, Athanasium, & Osium audiverimus; Ille enim, ubi Constantius

[a] Ruffin. lib. 10. cap. 2. Histor. Ecclesiast. pag. in. 218

ſtantius longè magis, quàm jus fere-bat, sese rebus Eccleſiaſticis immiſ-cuit, non potuit, quin apertè Impera-torem perſtringeret, dicens [a] *Quando nam judicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit ? — Plurimæ ante hac Synodi fuere: multa judicia Eccleſiæ habita ſunt: ſed neque Patres hujuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curiosè præbuit:* Hæc ATHANASIUS. OSIUS verò [b] *Né nobis* (ait eidem Conſtantio) *in hoc genere præcipe — Tibi Deus Imperium commiſit, nobis ea, quæ ſunt Eccleſiæ concredidit*. Vix ergo paſſi fuiſſent Oſius, & Athanaſius, qui tam fortiter Conſtantio reſtitere, ſibi vim fieri à Conſtantino Magno. Sed hîc non tam de facto, quàm de jure agimus, & quandoquidem ipſi iidem celebriores Patres Concilii Nicæni ratum habent, [c] Imperatores (de jure) cum judicio Epiſcoporum

[a] Epiſt. ad ſolitariam vitam agẽtes pag. 476.

[b] Epiſt. ad Conſtantiũ Imper. apud Athan. ibidem pag. 472.

[c] Apud Athan. ibid.

coporum nihil commune habere; quis non mirabitur impudentiam, & hallucinationem eorum, qui tam crebrò nobis objectant, Nicænam Synodum indictam fuisse à Constantino Magno; quasi hic illam, vel invitis, vel incolsultis Episcopis indixisset, aut de jure indicere potuisset. Nam si quid præterea sit, quod sciscitari velimus de Osio, & Athanasio, & quasnam ipsi partes egerint in Cõcilio Nicæno; deprehendemus ex a THEODORETO, Osium Episcopũ Cordubensem Ducem, & Antesignanum in hac Synodo fuisse: tum ex eodem ATHANASIO b *Osium formulam fidei in hac Synodo concepisse, & Arianos ubique pro hæreticis traduxisse*: quàm viriliter porrò, atque rectè se gesserit adversus Ariũ Divus Athanasius in eodẽ Concilio, id satis est unicuiq; obvium. Tametsi ergo id ultrò, citròq; adversariis largiremur, ab Imperatoribus nempè

a lib.2.cap. 15.

b Epist. ad solit. vitam agẽtes pag. m.470.

con-

convocata fuisse nonnulla Concilia ; vel cæco tamen perspicuum est, id non aliter factum fuisse, quàm Ex Sententia Sacerdotum, quemadmodum de Nicæno locutus est [a] *Ruffinus*: adeo quidem, ut rectè dixerint, & demonstrare satis potuerint [b] Abbas Redingius contra [c] *Heideggerum*, & adversus [d] *Lanoyũ*, [e] *Natalis Alexander*, non se mutuò elidere hæc duo, nimirum Imperatores, ut Supremos Advocatos Ecclesiæ Christianæ, ex sententia Sacerdotũ, & potissimùm Supremi eorum Hjerarchæ, indixisse Concilia, atque jus illa indicendi ad Forum Ecclesiasticũ pertinere. Quomodo autem inter Sacerdotes se præstiterint Romani Pontifices in quatuor his primis Cõciliis universalibus convocandis, & celebrandis; ego quidem ob oculos omnium ponere conabor, statim, ac luculentiùs ostendero, operam omninò lusisse, & neutiquam in scopum

col-

a Hist. Eccles. lib. 10 cap. 1. pag. m. 128.
b Defens. Cõc. Trid. qu. 1. c. 1.
c Anatom. Cõc. Trid.
d to. 6. epistol. 1.
e apud Riser. in Anti-Bellar. p. 511.

collineasse quotquot autumarunt, aliquid conferre ad præsentem hanc controversiam de Regimine Ecclesiastico dirimendam, id quod Imperatores nonnullas Synodos convocarint, atque tum in illis externa quædam, vel per se, vel per Legatos suos moderati sint.

4. Jam verò adnitatur præcæteris *Heideggerus* clientulis suis persuadere [a] *Potestatem Synodum convocandi pendere ab exteriori jurisdictione; ad eam enim pertinere tractare de loco, tempore, ac forma publicorum Conventuum: Tum, sivè convocandum sit Concilium, sivè in eo consultandum, et definiendum, requiri Auctoritatem Coactivam, vel Coercitivam; hanc veró nullo Jure pertinere ad Papam, cùm Ministrorum Ecclesiæ non sit Imperiũ, sed Ministerium*. Conetur (inquã) quantum libet iste Cinglio-Calvinianus, nam ejus argutias non curant

[a] Anatom. Conc. Trident. apud Redingiũ lib. cit. qu. 1. c. 1. & 2.

noſtri, utpotè qui jam probè norunt quot pondo illæ ſunt: Quinimò currus (uti loquuntur) ſat benè poterit hîc inverti; Cùm enim nulla alia *Coactiva*, *vel Coercitiva Poteſtas*, ſit in Eccleſia, quàm quæ Petro, & Succeſſoribus ejus tradita eſt unà cum Clavibus Regni Cœlorum, atque Apoſtolico jure ligandi, & ſolvendi: &, cùm, *ſivè conſultandum*, *ſivè definiendum ſit* (ut verba repetam Heideggeri) in Concilio OEcumenico, non modò ità pertineat judicium ad ſolos Epiſcopos, ut nihil cũ eo (quod nuper ajebam ex Athanaſio) commune habeat Imperator, sed & à Deo datam eſſe Magiſtratui Eccleſiaſtico Poteſtatem de Imperatoribus ipſis judicandi, ſpontè quidem ſua declaraverit [a] *Conſtantinus Magnus*, neque de cætero *Theodoſius Junior*, cùm [b] *Candidianum ad Sacram Epheſinam Synodum ire juſſit, ea tamen lege, & conditione, ut*

cum

[a] apud Ruffin. lib. 10. cap. 2. pag. 218.

[b] Concil. Epheſ. cap. 35. par. 1. pag. 441. to. 3. recẽs. Labb.

cum quæstionibus, & controversiis, quæ circa Fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune haberet; fateri destiterit, [a] *Nefas esse eum, qui Sanctissimorum Episcoporum cathalogo adscriptus non est, Ecclesiasticis negotiis, & consultationibus sese immiscere;* Nonnè hinc manifestè patet, Imperatorum non esse de Concilio convocando statuere, quippè qui (ut ipsi iidem de se testantur) neque judiciis, & consultationibus Episcoporum se immiscere debent, neque porrò habent ab ipso Deo Coactivã, vel Coercitivam ligandi,& solvendi, deque fidelibus omnibus judicandi (quantum ad Hjerarchicum Forum attinet) concreditam Potestatem? Sese jugulat igitur gladio suo Professor Tigurinus, neque sanè habet, unde Launoyo, hic etiam pessum abeunti, suppetias ferat Antonius Riserus Minister Hamburgensis. Nam quæ præterea de sumptibus

[a] Concil. Ephes. ibidem.

erogandis, loco, forma, & tempore publicorum conventuum adduci solent; ista quidem efficere potuerunt, (quod fatemur) ut Summi Ecclesiæ Antistites cogendis, & celebrandis Conciliis intermisceri voluerint Auctoritatem Imperatorum, vel Regũ, se Protectores, & Vindices Catholicæ Veritatis, Ecclesiæ Christianæ Filios Primogenitos, Fideique Catholicæ Defensores profitentium; Sed videte interim quanã vertigine correpti concidant Protestantes: Imperatorum esse (ait Heideggerus) Concilia convocare, siquidem ipsi de loco, & sumptibus debent prospicere: Drejerus autem, ubi se opposuit *Bellarmino*, inter alias causas, quare voluerint Põtifices indici Cõcilia ab Imperatoribus, has etiam adducenti, quod nempè ejusmodi Synodi Oecumenicæ celebratæ fuerint in aliqua urbe Imperiali, id quod fieri non potuisset sinè licentia Domini

mini illius loci, & factæ quidem fuerint sumptibus publicis, præsertim quoad transvectiones Episcoporum; audacter asserit, [a] *has causas esse ineptas*: & eo suffultum se credit, quod apud [b] THEODORETUM testatus sit Liberius Papa, *Negotia Ecclesiastica publicam vecturam non desiderare, quandoquidem Ecclesiæ ad Episcopos suos ad mare usq; deducendos satis habent facultatum*. Nimium ergo causis adductis Calvinianus tribuit, nimiumque detrahit Lutheranus, sed uterq; hîc suam prodit ignorantiam: Non ità enim leves (uti opinatur Drejerus) extitisse causas, unde Summi Hjerarchæ voluerint, Indictiones Cõciliorum Auctoritate Imperatoria suffulciri, atque ità Ecclesiam reddi magis, magisque conspicuam, non poterit non esse perspectum iis, quos non latet, quantum ærumnarum perpessa fuerit tota Ecclesia Christiana, antequam eam Cõ-

a Drejer. disput. 17. pag. 448.

b lib. 2. c. 16. pagin. 236.

ſtantinus Magnus, uterque Theodoſius, & nonnulli alii Imperatores tuerentur, ac promoverent: Sed jam, ſicuti non eſt operæpretium ad ſubeundum id muneris, quo in indicenda Nicæna Synodo Magnus ille Cōſtantinus, Imperatores, vel Reges advocari, ſiquidem nihil obſtat, quo minus Summi Pontifices in indicendis, & celebrandis Conciliis OEcumenicis utantur jure Apoſtolico, quod Petro Apoſtolorum Principi, & Succeſſoribus ejus traditum eſt, ita etiam immane quantum, poſt tot, tantasque viciſſitudines, mutata eſt Imperiorum, atque Regnorum facies, adeò quidem, ut non modò ſupervacaneum, sed & per difficile ſit in indictione Conciliorum iisdem prorſus uti mediis, quæ antiquitùs adhibebantur: unde satis ſuperque liquet, quod quemadmodum ineptè dictum eſt à *Drejero*, circumſtantias, in medium adductas à *Bellarmino*,

ineptas esse, nulliusque ponderis, ità ex opposito *Heideggerus* in ipsis eisdem circumstantiis nimis hæreat, neque respiciat, quod, Cùm nonnisi Ecclesiastici juris sit controversias fidei dirimere, Fideique articulos in Symbolum, & Canones redigere, statuere quid credendum, quid ejurandum, & ab Ecclesia eliminandum, Episcopos ad Cathedras evehere, deponere, restituere, Doctores destinare vindicandis Ecclesiis ab hæresi, & ad verbum Dei rectè annunciandū, necnon leges cudere de tota Disciplina Ecclesiastica (circa quæ tantùm versatur, & propter quæ tantùm cōvocari solet Synodus OEcumenica;) hinc nequeat ad alium Magistratum, quàm Hjerarchicum pertinere jus indicendi Concilia. Dum ergo ex *externis circumstantiis*, nimirum ex sumptibus erogandis, loco, & forma publicorum Conventuum deducere conatur Heideggerus, Imperatorum

esse Concilia universalia convocare; penitùs ipse, penitùsq; aberrat à scopo, quandoquidem, uti jam patet, contrariũ omninò deducitur ex *causis internis*.

5. Atque his porrò finitimum est quicquid huc obtrudi solet de Præsidentia (ut vocant) Imperatorũ in Conciliis: Nam certè omnibus se deridendum propinat Heideggerus, dum ait, Conciliis, *quoad ordinem*, præsedisse Imperatores; nam undè, quæso, colligitur, præsedisse eos, qui rati sunt, [a] Patribus Concilii ab ipso Deo datam esse potestatem de ipsis iisdem Imperatoribus judicandi, atque [b] Nefas esse, eum, qui Sanctissimorum Episcoporum catalogo non est adscriptus, Ecclesiasticis negociis, & consultationibus se immiscere? Sed num ne putas Heideggere, ideò Conciliis quoad ordinem præsedisse Imperatores, quia Constantinus Magnus in Nicæno [c] *Cùm ad locum in*

quo

[a] apud Ruffin. lib. 10. cap. 2.

[b] Concil. Eph. cap. 35. par. 1. pag. 441. to. 3. recés. Labb.

[c] apud Sozomen. lib. 1. cap. 8.

quo Sacerdotes erant, veniſset, tranſiens ad ſupremam partem conventus, in ſella (& quidem aurea) ſibi applicita aſſiderit, omnibuſque, qui aderant Concilio, mandatum dederit, ut conſiderent? Ità sanè videris putaſſe; At at, ſi propterea tam crebrò iſtiusmodi Præſidentiam Patribus Tridentinis objectas, quia ipſe tibi, tuisque perſuades, quòd non eo pariter modo Imperatoriam Majeſtatem fuiſſent reverituri Patres Tridentini, ſi Concilio intereſſe voluiſſet Carolus Quintus, quo illam Nicæni, Epheſini, & Chalcedonenſes reveriti sunt, immane quantum in Viros probos, & illuſtres injurioſus es, mi homo. Deindè verò, ut maximè donarim, Imperatores, vel per se, vel per Legatos suos Conciliis quibusdam præſediſſe *in externis* (quod mavult Drejerus) nimirum [a] „ ut „ Monachos, & ſeculares, ac cæteros „ denique omnes; qui hujus ſpecta-

[a] Epiſtol. Theodoſij Imper. in Concilii Epheſini Act. 5.

culi

„culi causà eò (nempè in urbem il-
„lam Imperialem , ubi Concilium
„celebrabatur) confluxerunt, submo-
„verent: Tum, ut diligenter prospi-
„cerent, nè qua gravior dissensio ex
„mutuo repugnandi studio exorta, &
„sævæ tempestatis instar debacchata,
„sanctissimæ Synodi consultationem,
„exactioremque veritatis indagationē
„quovis modo conturbaret: (quippè
annexum semper fuit Imperatoriæ
Majestati munus Supremi Advocati
Ecclesiæ Christianæ, & potissimùm
in urbibus Imperii.) „Tum denique
„quo operam darent sedulam, ut om-
„nibus, & singulis, quæ dicebantur,
„ritè perceptis, singuli inoffensè, quod
„visum fuisset, in medium proponere,
„vel ab aliis propositum, si opus id
„fuisset, refutare possent. Quid ta-
men hæc detraxere, vel unquam de-
trahere poterunt Hjerarchico Princi-
patui Antistitum Ecclesiæ? Nihil
certè hîc agunt adversarii, nam illoc

præ-

præſediſſe Imperatores *in externis* nucleum controverſiæ non attingit; Quid enim noſtra id refert, quod Conciliis Oecumenicis externas ejuſmodi ſuppetias tulerint Imperatores, vel Reges? Non id profectò quæritur, ſed potiùs, quiſnam ibi, atque alibi de jure, atque de facto, Summum Iudicem egerit in Controverſiis Fidei, atq; in regimine totius Eccleſiæ Chriſtianæ munus objerit Supremi Hjerarchæ.

6. Hæc (inquam) eſt Summa rei, quæ diſcutienda eſt, quòd nempè opinantur Schiſmatici, Eccleſiæ Magiſtratum non Monarchiæ, ſed Reipublicæ ad inſtar conſtitutum eſſe, nimirum, ut vel eadem omninò ſit ſingulorum Presbyterorum Auctoritas, nihilque diſcriminis de jure Divino Epiſcopos, & Presbyteros interjaceat, vel Principatus Eccleſiæ ſit quidem penès Patriarchas, & Epiſcopos, nemo tamen inter eos dici

mereatur Primus, niſi ordine, vel ad ſummum, ſit quidem Supremus Hierarcha ipſe Papa, sed nonniſi ex delegatione univerſalis Eccleſiæ: Contra verò Catholici omnes unà ratum habent, Papam Romanum eſſe Pontificem Maximum, Supremumque Judicem totius Eccleſiæ Chriſtianæ; adeòque id unum expendendum eſt, utrum nempè Hierarchia, quæ conſtituta eſt à Chriſto, & Apoſtolicis traditionibus, Conciliorũ Decretis, Sanctorumque Patrum conſenſu cõfirmata, ſit potiùs Monarchica, quã Ariſtocratica, vel Democratica: Et ſemitæ porrò, quam tenere cæperamus, inſiſtendo, diſpiciendum, Catholicis nè, vel hæreticis faveat hac in parte conſenſus Eccleſiæ primorum quinque ſeculorum.

THEO-

THEOREMA II

PROFESSIO CATHOLICAE FIDEI De Poteſtate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, extracta ex Sacra Scriptura, & ex Sanctis Patribus, atq; Conciliis Œcumenicis primorum quinque ſeculorum, qua nempè patet,

Papam Romanum eſſe Pontificem Maximum, atque Judicem Supremũ totius Hierarchiæ Chriſtianæ.

CRedimus, atq; unanimi conſenſu profitemur Nos Catholici, Sanctũ Petrum Apoſtolum conſtitutum fuiſſe de jure Divino Caput, & Principem omnium Apoſtolorum, quandoquidem PETRO dixit CHRISTUS [a] *Ego dico tibi, quia tu es Petrus: & ſuper hanc Petram*

[a] Matth. 16. v. 18.

tram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Quæ quidem verba Evãgelica non aliter intelligi debere credimus, quàm sicut illa Sancti Patres primorum quinque seculorum interpretati sunt; adeoque ratum hinc nobis est, juxtà D. CYPRIANUM, quod, Dum [a] *loquitur Dominus ad Petrum: ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eã, & tibi dabo claves regni cœlorũ &c. Super illum unum ædificat Ecclesiã suam, & illi pascendas mandat oves suas: & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Accipite Spiritum Sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur; tamen, ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem*

[a] Tractat. (adversus Novat.) De simplicit. Prælatorũ.

sua

sua auctoritate disposuit — Primatus Petro datur, & una Christi Eccelsia; & Cathedra una monstratur. Atq; hinc credimus, D. Petrum jure meritò dictum fuisse ab EUSEBIO [a] *Christianorum Pontificem Maximum.* Nam, præter id, quod ex *Ioannis* Evangelio deduxerit D. CHRYSOSTOMVS, quod [b] *Petrus Os erat Apostolorum, & Princeps:* atq;alibi [c] *Petrus adeò abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apostolorũ fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus:* Atque tum alibi, [d] *Ei* (Petro Christus) *per totum Orbem terrarum Ecclesiæ Præsidentiam tradidit:* Atque luculentiùs alibi [e] *Totius Orbis terrarum Doctorem præfecit Petrum, cui Claves Cœlorũ dedit, cujus arbitrio, & potestati cuncta permisit:* [f] *Ecclesiæq; Primatum, gubernationemque ipsi per universum Mundum tradidit;* Ratum etiam nobis est ex iis, quæ de Prima-

a in Chronic. ad an. 44.

b homil. 87 in Ioannẽ.

c Orat. 5. adver. Iud. pag. 966. tom. 5.

d Hom. 80. ad Popul. Antioch. pag. 401. tom. 5.

e Homil. in S. Igna. in.

f Homil. 1. de Pœnitentia pag. 714. tom. 5.

tu

tu Petri ex verbis Evangelicis deduxerat D. AMBROSIVS, quod [a] *Soli Petro inter Apoſtolos gratia Primatus commiſſa eſt*: non propterea quòd Petrum ſibi conſtituerint Caput, & Principem ipſi iidem Apoſtoli, ſed potius, quia [b] *Ipſe Dominus* (ut loquutus eſt D. EPIPHANIUS) *conſtituit Petrum Principem Apoſtolorum, Petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt: Et* [c] *appellavit Petram* (ut jam antea docuerat D. BASILIUS) *propter maximam fidei firmitatem*: Ità ſanè, ut [d] *Hic Petrus Petra vocetur* (quod deindè ſuperaddidit D. GREGORIUS NAZIANZENUS) ob id potiſſimum quod Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habeat: adeò quidem, ut dixerit D. AVGVSTINUS: [e] *In Eccleſia Catholica tenet me conſenſio populorum, atque gentium: Tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate fir-*

[a] in cap. 2. ad Galatas.

[b] in Ancorato, pag. m. 499.

[c] in cap. 2. Iſaiæ.

[d] De moderat. in Diſput. habenda m. 229.

[e] lib. contra Epiſt. fundam.

firmata: Tenet A**B IPSA SEDE PETRI APOSTOLI**, *cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit*, **USQUE AD PRAESENTEM EPISCOPATUM SUCCESSIO** *Sacerdotum*. Hinc ergo credimus cum sacrosancto CONCILIO EPHESINO, quòd Papa Romanus est [a] *Ordinarius Successor B. Petri Apostolorum Principis*; adeoque, quòd ipse idem Papa, quemadmodum proclamatum est in sacrosancto CONCILIO CHALCEDONENSI, est [b] *Caput Universalis Ecclesiæ*. Atque hinc credimus cum D. IRENAEO, quòd [c] *Obsequentes esse nos oportet iis, qui in locum Apostolorum subindè suffecti, sinè dubio cum Episcopatus ipsa Sede possident quoddam æternum, atq; certissimum patrimonium, thesaurumque veritatis*; Siquidem, uti ajebat D. PETRUS CHRYSOLOGUS, [d] *Beatus Petrus in propria Sede vivit, &*

[a] Concil. Ephes. act. 3. pag. 626. tomi 3. recens. Labb.

[b] Act. 1. p. 94. tomi 4. recens. Lab.

[c] lib. 4. c. 43.

[d] Epist. ad Eutychen.

præstat quærentibus fidei veritatem. Atq; tum credimus cum D. LEONE Magno, quòd [a] *Quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores; omnes tamen propriè regit Petrus, quos principaliter regit, & Christus:* atque adeò ipse Papa Romanus de jure omnia propria regit; siquidem ipse est [b] *Successor Piscatoris, & discipulus Crucis* (ut verbis utar D. HIERONYMI: adeò quidem, ut rectè concludamus cum D. HILARIO, quòd [c] *qui extra hanc Ecclesiam positi sunt, nullam Divini sermonis capere possunt Intelligentiam.* Ità ergo nos Catholici De Potestate Sanctæ Sedis Apostolicæ, ex Sacra Scriptura, & ex consensu Sanctorum Patrum, Conciliorumq; Universalium, primorum quinque seculorum, credimus, & profitemur. Demum verò credimus, nostram hanc Catholicam Fidei Professionem esse rectam, & sanctam; Siquidem

[a] Serm. 3. de assumptione sua ad Pontif.

[b] Epist. 57. ad Papam Damasum.

[c] in Matth. cap. 13.

de.n

dem, Secundùm normam Fidei, quam reliquit D. ATHANASIUS

a Est veræ disciplinæ, ac magisterii argumentum, ubi eadem (omnes) confitentur, nec á se invicem, nec à majoribus dissentiunt.

a in Decretis Synodi Nicenæ contra hæresim Arianam, pag. m. 369.

THEOREMA III.

Papam Romanum esse Monarcham totius Hierarchiæ Christianæ patet ex Actis Concilii Chalcedonensis.

1. QVoniam autem id maximè objectarvnt nobis adversarii, quod nempè tantum abest, ut quatuor prima Concilia Oecumenica statuerint, penès Papam Romanum esse Supremum Ecclesiæ Magistratum, ut potiùs ipsa sibi Papas subjecerint, nihilq; auctoritatis Romano Pontifici præ cæteris in hujusmodi Conciliis convocandis, & celebrandis delatum sit; idcircò Acta ipsa earundem quatuor primarum Synodorum Universalium, & monumenta Patrum ejusdem temporis adeunda sunt, & cominùs explorandum

plorandum, quomodo sese res habuerit: sed, ut faciliùs pedem queamus promovere ad ea, quæ sunt magis remota, exordiemur à Concilio Chalcedonensi.

2. Nisi autem pudorem penitùs exuissent adversarii; abundè quidem ipsi sibi satisfactum fuisse faterentur eô quòd, sivè agatur generaliter de Summo Ecclesiæ Magistratu, dequè Capite totius Ecclesiæ Christianæ, sivè speciatim de jure confirmandi, deponendi, & restituendi Patriarchas, & Episcopos, & de Potestate celebrandi Concilia; nihil sibi postremis his temporibus tribuerint Papæ, quo non pridem eorum decessores potiti fuerant in Concilio Chalcedonensi. Siquidem in confesso est, THEODORETUM Episcopum Cyri, de Sede deturbatum, ad S. Leonem Papam appellasse, & quidem his verbis [a] *Si Paulus Prædicator veritatis, & Spiritus Sancti buccina ad Petrũ* *accur-*

[a] Epist. ad S. Leonẽ,

accurrit ; — multó magis nos, qui pusilli sumus ad Solium Apostolicū accurremus . — Supplex oro, Sanctitatem Vestram, ut ea me Tribunal vestrum, ac rectum appellantem defendat. Dicit hîc Theodoretus, se ad Papam appellare, & accurrere ad Solium Apostolicum : Sed quandoquidem per Apostolicum Solium non aliam Sedem intelligi vult, quàm Romanam, tametsi unus etiam ex Apostolis, nempè Jacobus Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerit, & Apostolus quoque Joannes Ephesinæ ; mirum ni Theodoretus paria facere velit cum CHRYSOSTOMO, statuendo nempè, quod [a] *Jacobum Petrus totius Orbis Magister, Ecclesiæ Hierosolymitanæ præposuerit* : atq; ad Romanam Sedem appellet Theodoretus, non propterea quod Leonis Magni patrocinium eblandiri velit, sed quia potiùs pro cōperto habeat, [b] *Vigere, atq; semper viguisse in Romana*

[a] Homil. ult. in Io: pag. 355. tomi 3.

[b] Epist. 162

mana Ecclesia (uti etiã AUGUSTINO visum est) *Principatum Cathedræ Apostolicæ*. Insontem porrò Theodoretum Episcopatui restituit S. Leo, & non modò ab Oecumenica Synodo Chalcedonensi non fuit, vel in Leonem, vel in Theodoretum animadversum, verùm etiam ratam omninò fuisse huic Synodo ejusmodi restitutionem, luculenter testantur ejus Acta; utpotè quæ sic habent: [a] *Ingrediatur & Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia restituit ei Episcopatũ Sanctissimus Archiepiscopus Leo*.

[a] Concil. Chalced. act. 1. pag. 102. tom. 4 rec. Labb.

3. Ratum ergo, atque firmum erat Patribus hujus authenticæ Synodi, auctoritatem Papæ Romani in Ecclesias usque Orientales, & quidẽ jure Apostolico, se extendere. Ubi, quis non mirabitur impudentiam DREJERI, dicentis, [b] *Theodoretum* (non à S. Leone) *sed à toto Concilio Sedi suæ fuisse restitutum*, *cùm ana-*

[b] disp. cõtra Pontificios.

themadixiſſet Neſtorio? Nemo ſanè, ubi attentè perpenderit illa verba: *Reſtituit ei Epiſcopatum Sanctiſſimus Archiepiſcopus Leo*, non fatebitur, Primarium iſtum Lutheranæ falſitatis Profeſſorem rotundè mentiri, atque frontem perfricuiſſe. Sed, ut ut nihil oris relictum ſit iſtis hæreticis, & quantumlibet ipſi dolo, atq; vi adnitantur, ut non omninò cadant deſperata cauſa; nunquam tamen eluctabuntur: Nam, ut nihil dicam, liquere ex a *Actis* eiusdem *Concilii Calcedonenſis*, & ex b *literis S. Leonis ad Martianum Imperatorem*, Maximum Patriarcham Antiochenum, atque Anatolium Patriarcham novæ Romæ ab eodem Leone Magno fuiſſe confirmatos; omnibus palam eſt, Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum inſimulatum fuiſſe ejus, quod Synodum celebraſſet ſinè auctoritate Summi Pontificis, atq; hujus porrò Legatos his verbis uſos fuiſſe in Concilio

a Act. 7.
b Epiſt. 54.

cilio Chalcedonensi, nimirum [a] „Beatissimi, atque Apostolici Viri Papæ Urbis Romæ, quæ est Caput omniũ Ecclesiarum præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus nõ sedeat in Concilio, sed tanquam audiendus intromittatur: Hæc PASCHASINUS: Quæ prosecutus est LUCENTIUS alter Legatorum, (dicens de Dioscoro): „Judici sui necesse est eum dare rationem, quia, Cùm personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sinè auctoritate Sedis Apostolicæ, QUOD NUNQUAM LICUIT, NUNQUAM FACTUM EST.

[a] Concil. Chalced. act. 1. pag. 94. tom. 4. recẽ. Labb.

Jam verò, quanam fronte in medio Concilii Oecumenici dixissent Legati, Caput omnium Ecclesiarum esse Romæ, & nunquam licuisse celebrare Synodum sinè Pontificis Romani auctoritate, atque Leo-

nem

nem Papam non quidem rogare in Concilio, sed propria Auctoritate Apostolica præcepisse, nè Synodo assideret Patriarcha Alexandrinus, si non de jure tunc temporis potuissent hæc effari?

a act. 3. pagin. 426. tom. 3. rec. Labb.

4. Sed quid multis moror? En Decretum, quo demum pœna Dioscoro irrogata est: [a] *Sanctissimus, ac Beatissimus* LEO PER NOS, ET PER PRAESENTEM SANCTAM SYNODUM, *unà cum ter Beatissimo, & omni laude dignissimo Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & recta fidei fundamentum, nudavit Dioscorum tam Episcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.* Jam hìc non modò non reclamantibus Patribus Conscriptis, verū etiam, sancta Synodo consentiente, fertur sententia, qua non ab ipsa Synodo, sed à Papa Leone *Per præsentem Sanctam Synodū.* Dioscorus

amo-

movetur Episcopatu, & cogitur in ordinem: Neque profectò tam stupidi, & lusciosi sunt Patres, qui Judicio suffragantur, ut non videant, & perpendant *formulam*, qua cusa est, & promulgata sententia: Vident, Papam Romanum in medio Concilii Oecumenici, quin & in ipsius ejusdē Concilii *Decretis* vocari CAPUT UNIVERSALIS ECCLESIÆ, PRÆDITUM PETRI APOSTOLI DIGNITATE: Vident, Papam de facto fungi munere Supremi Hierarchæ, deponendo Patriarcham Alexandrinū, non quidem ex Delegatione sibi facta à Concilio, sed propria auctoritate Apostolica: Vident (inquam) hæc: & tantùm abest, ut renitantur, ut potiùs consentiant universi.

5. Quid ad hæc Protestantes? Vel hærent, vel nondum animum, atque technas suas despondentes, inficiunt omnia, & indesinenter obstrepunt, atque (ut sunt mores Theolo-

gorum

gorum Lutherano, vel Calviniano spiritu concitatorum) nè nihil importare videantur, adducunt in medium integra mendaciorum plaustra. Et quidem DREJERUS, tametsi non audeat inficiari, S. Leonem Concilio Chalcedonensi præsedisse (ut ipse loquitur) *in internis* per Legatos suos Paschasinum, & Lucentium Episcopos, & Bonifacium, atque Basilium Presbyteros; ait tamen id factum fuisse, [a] *non ob auctoritatem Sedis Romanæ, quod ad eam partes præsidendi semper pertineant;* sed quia *mereri id videbatur Leo insigni Epistola dogmatica ad Flavianum de Christi Incarnatione contra Euticheté docté elaborata, quæ & primùm in Concilio fuit approbata, ex eaq; Eutiches damnatus*. Quinimò addit idem Lutheranus[b] *Martianum Imperatorem legem Patribus Concilii præscripsisse, nè aliter de Persona Christi disputarent, quàm in Conci-*

[a] Disput. contra Pótificios.

[b] idē ibid.

lio Nicano erat statutum, atque totam Synodum [a] *in omnibus actionibus agnovisse imperium, & moderamen Imperatoris*. Tum, quod mireris, Lector candide, plus hîc livent duo, vel tres Doctores Sorbonici, quàm hæretici vnà omnes: Nam, ut unum præcæteris EDMVNDUM RICHERIUM apud ANTONIUM RISERUM inſpicias; is in ſententia lata in Dioſcorum, gravatus Majeſtatem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, haud veritus eſt proferre [b] *Legatos Sedis Romanæ, abſentibus Martiani Judicibus multa clarè, & ampullosè locutos eſſe, & ſua ſic concepiſſe verba, quaſi viderentur efficere velle, Patres in Synodo dumtaxat eſſe ſententiæ Leonis executores, dicendo, Leonem per præſentem Sanctam Synodum decernere, quaſi Leo Papa damnaret Dioſcorum per Synodum, velut per Inſtrumentum, uti Rex ſolet per Judices damnare reos: Cúm tamen ipſa*

[a] idē ibid.

[b] apud Riſerū in Anti-Bellar.

Synodus sit totum, & Leo cum Legatis habeat rationem partis. Hæc Sorbonicus; Sed quàm benè is hîc de Sorbona sua promeritus sit, en habe. Si aliter, atque solet Rex per Judices damnare reos, animaduersũ fuisset in Dioscorum à Papa Leone per Synodum Chalcedonensem: Si corpus Concilii ità esset constitutum, ut Synodus ipsa sit totum, & Papa cũ Legatis suis eam tantùm habeat rationem partis, quàm hæc, vel illa pars in nostro corpore organico; Subscripsissent nè sententiæ latæ in Dioscorum Patres illius Concilii? Se quidem heic loci prostituit Richerius: Quippè, ut notaret Legatos Sancti Leonis atro calculo, id ipsis vitio vertit, quòd nempè allaborarint ut Papa in Decretis hujus Oecumenici Concilii sententiam dicere videretur tanquam Monarcha totius Ecclesiæ Christianæ: Vel igitur omnibus quotquot ejusmodi sententiæ

sub-

ſubſcripſere, nempè toti Concilio Chalcedonenſi, ignorantiæ, falſitatis, & aſſentationis dicam ſcribit iſte Sorbonicus; vel ſi ipſe fatetur, hanc Generalem Synodum eſſe piam, ſanctam, legitimam (quòd nec Lutherani, nec Calviniſtæ inficiati sunt); fatetur etiam, (scilicèt quàndo minus ſe id fateri credit) Papam Romanũ, juxtà tenorem Decretorum hujus Uniuerſalis, atq; authenticæ Synodi eſſe Monarcham totius Eccleſiæ, & ſe habere Papam in Auctoritate Hierarchica ad Synodum Oecumenicã, ſicut ſe habet Rex ad ſuos Judices in temporali (ut vocant) Poteſtate. Sed de Sorbonico plus ſatis.

§ 6. Nunc ad te redeo Drejere, & optarem, ut trutina meliori, quàm qua hactenus uſus es, penſiculatum ires ea, quæ Patres hujus Concilii de se ſcribunt ad S. Leonem, nempè dicentes: [a] Tu *quidem* SICUT MEMBRIS CAPUT *praeeras*, IMPERATO-

[a] Concil. Chalced. par. 3. cap. 2. pag. 83. tom. 2. recent. Labb.

res *verò* Ad Ordinandvm *decentissimè* Præsidebant : Atque alibi [a] *Rogamus igitur, ut tuis Decretis nostrum decores judicium, & sicuti nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & humanitas tua filiis quod decet adimpleat*. Enimverò dic, amabo te, Drejere, jubent nè Patres heic, ut Papa Statutis Synodi obtemperet, vel potiùs à Papa rogãt, & quidem tanquam filii, ut Synodicis Sanctionibus auctoritatem ipse inferat? Agnoscunt nè in omnibus actionibus (uti ajebas) moderamen Imperatoris, tanquam supremi Judicis, & Capitis Hierarcici, vel potius de se testantur, sibi Papam tanquam membris Caput, sivè (quod idem est) tanquam Mentem motricem, & directricem toti corpori humano præsedisse, Imperatores verò nonnisi ad ordinandum, seù disponendum, ut executioni mandarentur Decreta sacrosancti Concilii? Ejusmodi porrò

[a] ibid. pag. 837.

testi-

testimonia non subdititia sunt, non fucata, non obscura, sed authentica, luculentissima, & validissima: Neque tu illa satis expendisti Drejere; quî enim expendisses, si non constabas animo? Nam videsis, mi vir, ubique doces, Imperatores Conciliis præsedisse tantùm *in externis*, & ubique etiam isthoc Imperatorium nonnisi externum moderamen objectas Papis. Igitur, si credis, Imperatores, per id quod externa moderati sunt in Conciliis, functos fuisse munere Sũmi Hierarchæ; non satis sobrius es: Si non credis, Imperatores, externa in Conciliis moderando, Pontificiũ munus obiisse, objicis tamen, Imperatores olim Conciliis præsedisse *in externis*, quasi hoc Papæ, sivè Summi Pontificis auctoritatem Hjerarchicam labefactaret; mentis omninò commotæ es. Et, quod penè memoria exciderat, vel dolo, nobiscum agis, vel non constas animo, dum

ais, Imperatores Patribus Chalcedonensibus præscripsisse legem, nè aliter de Persona Christi disputarent, quàm in Concilio Nicæno erat statutum: Nunquam nè igitur legisti S. LEONIS AD MARTIANUM IMPERATOREM Epistolam quadragesimam, & primam post quadragesimam? Legisti; (ut opinor;) Sed vel dissimulas, ut in fraudes clientulos tuos illicias, vel vis animi penitùs te destituit; Siquidem constat ex duabus his epistolis, ipsum eundem S. Leonem Martiano injunxisse, ut legem Synodo Chalcedonensi præscriberet, nè de Christi Persona disputaretur aliter quàm statutum fuerat in Nicæna. En verba S. LEONIS ad ipsum Imperatorem Martianum: [a] *Illud porró jubeatis, ut antiquæ Nicænæ Synodi constituta,* (scilicet de Persona Christi) *remota hæreticorum interpretatione, permaneant.* Liquet ergo, Martianum non fuisse

[a] Concil. Chalced. Epist. S. Leonis 41.

nisi

nisi executorẽ legis, quam ipse Papa Synodo præscripserat. Quinimò vel hinc luce meridiana clarius est, Papam Romanum in illa Synodo non modò Præsidem, & Judicem per Legatos suos, sed &, ut nihil omninò deesset Summo Principatui Hierarchico, Magistrum, & Legislatorem egisse in Controversiis fidei.

7. Tandem verò, ut rem omnem paucis complectar, ipse idem, qui Concilio Chalcedonensi per Legatos suos præsedit, Sanctissimus, atque Beatissimus Papa LEO,

[a] *Moribus, eloquio, doctrinæ lumine* MAGNUS

(ut nuper cõfessus est HOFMANNUS Basiliensis ex Professoribus Calvinianis) atque [b] *Vir Divinarum Literarum eruditissimus* (teste *Johanne* STUBNERO Lutherano) *& qui Attilam Hunnorum Regem á devastatione Urbis Romæ averterit facundia sua, & auctoritate: atq; infremuerit*

[a] in Vita S. Leonis.

[b] Synopsis Hist. Ecclesiast.

nem Papam non quidem rogare in Concilio, sed propria Auctoritate Apostolica præcepisse, nè Synodo assideret Patriarcha Alexandrinus, si non de jure tunc temporis potuissent hæc effari?

a act. 3. pagin. 426. tom. 3. rec. Labb.

4. Sed quid multis moror? En Decretum, quo demum pœna Dioscoro irrogata est: [a] *Sanctissimus, ac Beatissimus* LEO PER NOS, ET PER PRAESENTEM SANCTAM SYNODUM, *unà cum ter Beatissimo, & omni laude dignissimo Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit Dioscorum tam Episcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.* Jam hìc non modò non reclamantibus Patribus Conscriptis, verũ etiam, sancta Synodo consentiente, fertur sententia, qua non ab ipsa Synodo, sed à Papa Leone *Per præsentem Sanctam Synodũ*. Dioscorus

amo.

amovetur Episcopatu, & cogitur in ordinem: Neque profectò tam stupidi, & lusciosi sunt Patres, qui Judicio suffragantur, ut non videant, & perpendant *formulam*, qua cusa est, & promulgata sententia: Vident, Papam Romanum in medio Concilii Oecumenici, quin & in ipsius ejusdē Concilii *Decretis* vocari CAPUT UNIVERSALIS ECCLESIÆ, PRÆDITUM PETRI APOSTOLI DIGNITATE: Vident, Papam de facto fungi munere Supremi Hierarchæ, deponendo Patriarcham Alexandrinū, non quidem ex Delegatione sibi facta à Concilio, sed propria auctoritate Apostolica: Vident (inquam) hæc: & tantùm abest, ut renitantur, ut potiùs consentiant universi.

5. Quid ad hæc Protestantes? Vel hærent, vel nondum animum, atque technas suas despondentes, inficiunt omnia, & indesinenter obstrepunt, atque (ut sunt mores Theolo-

gorum Lutherano, vel Calviniano ſpiritu concitatorum) nè nihil importare videantur, adducunt in medium integra mendaciorum plauſtra. Et quidem DREJERUS, tametſi non audeat inficiari, S. Leonem Concilio Chalcedonenſi præſediſſe (ut ipſe loquitur) *in internis* per Legatos ſuos Paſchaſinum, & Lucentium Epiſcopos, & Bonifacium, atque Baſilium Presbyteros; ait tamen id factum fuiſſe, [a] *non ob auctoritatem Sedis Romanæ, quod ad eam partes præſidendi ſemper pertineant*; ſed quia *mereri id videbatur Leo inſigni Epiſtola dogmatica ad Flavianum de Chriſti Incarnatione contra Eutichē doctè elaborata, quæ & primùm in Concilio fuit approbata, ex eaq; Eutiches damnatus*. Quinimò addit idem Lutheranus[b] *Martianum Imperatorem legem Patribus Concilii præſcripſiſſe, nè aliter de Perſona Chriſti diſputarent, quàm in Concilio*

[a] Diſput. contra Pōtificios.

[b] idē ibid.

lio Nicano erat statutum, atque totam Synodum [a] *in omnibus actionibus agnovisse imperium, & moderamen Imperatoris*. Tum, quod mireris, Lector candide, plus hîc livent duo, vel tres Doctores Sorbonici, quàm hæretici vnà omnes: Nam, ut unum præcæteris EDMVNDUM RICHERIUM apud ANTONIUM RISERUM inspicias; is in sententia lata in Dioscorum, gravatus Majestatem Sanctæ Sedis Apostolicæ, haud veritus est proferre [b] *Legatos Sedis Romanæ, absentibus Martiani Judicibus multa clarè, & ampullosè locutos esse, & sua sic concepisse verba, quasi viderentur efficere velle, Patres in Synodo dumtaxat esse sententiæ Leonis executores, dicendo, Leonem per præsentem Sanctam Synodum decernere, quasi Leo Papa damnaret Dioscorum per Synodum, velut per Instrumentum, uti Rex solet per Judices damnare reos: Cúm tamen ipsa*

[a] idē ibid.

[b] apud Riserū in Anti-Bellar.

Synodus ſit totum, & Leo cum Legatis habeat rationem partis. Hæc Sorbonicus; Sed quàm benè is hîc de Sorbona sua promeritus ſit, en habe. Si aliter, atque ſolet Rex per Judices damnare reos, animaduersũ fuiſſet in Dioſcorum à Papa Leone per Synodum Chalcedonenſem: Si corpus Concilii ità eſſet conſtitutum, ut Synodus ipſa ſit totum, & Papa cũ Legatis ſuis eam tantùm habeat rationem partis, quàm hæc, vel illa pars in noſtro corpore organico; Subſcripſiſſent nè ſententiæ latæ in Dioſcorum Patres illius Concilii? Se quidem heic loci proſtituit Richerius: Quippè, ut notaret Legatos Sancti Leonis atro calculo, id ipſis vitio vertit, quòd nempè allaborarint ut Papa in Decretis hujus Oecumenici Concilii ſententiam dicere videretur tanquam Monarcha totius Eccleſiæ Chriſtianæ: Vel igitur omnibus quotquot ejuſmodi ſententiæ

ſub-

ſubſcripſere, nempè toti Concilio Chalcedonenſi, ignorantiæ, falſitatis, & aſſentationis dicam ſcribit iſte Sorbonicus; vel ſi ipſe fatetur, hanc Generalem Synodum eſſe piam, ſanctam, legitimam (quòd nec Lutherani, nec Calviniſtæ inficiati ſunt); fatetur etiam, (ſcilicèt quàndo minus ſe id fateri credit) Papam Romanũ, juxtà tenorem Decretorum hujus Uniuerſalis, atq; authenticæ Synodi eſſe Monarcham totius Eccleſiæ, & ſe habere Papam in Auctoritate Hierarchica ad Synodum Oecumenicã, ſicut ſe habet Rex ad ſuos Judices in temporali (ut vocant) Poteſtate. Sed de Sorbonico plus ſatis.

§. 6. Nunc ad te redeo Drejere, & optarem, ut trutina meliori, quàm qua hactenus uſus es, pendiculatum ires ea, quæ Patres hujus Concilii de se ſcribunt ad S. Leonem, nempè dicentes: [a] Tu *quidem* SICUT MEMBRIS CAPUT *præeras*, IMPERATO-

RES

[a] Concil. Chalced. par. 3. cap. 2. pag. 833. tom. 4. recent. Labb.

RES *verò* AD ORDINANDUM *decentissimè* PRÆSIDEBANT : Atque alibi
a ibid. pag. 837. a *Rogamus igitur, ut tuis Decretis nostrum decores judicium, & sicuti nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & humanitas tua filiis quod decet adimpleat*. Enimverò dic, amabo te, Drejere, jubent nè Patres heic, ut Papa Statutis Synodi obtemperet, vel potiùs à Papa rogāt, & quidem tanquam filii, ut Synodicis Sanctionibus auctoritatem ipse inferat? Agnoscunt nè in omnibus actionibus (uti ajebas) moderamen Imperatoris, tanquam supremi Judicis, & Capitis Hierarcici, vel potius de se testantur, sibi Papam tanquam membris Caput, sivè (quod idem est) tanquam Mentem motricem, & directricem toti corpori humano præsedisse, Imperatores verò nonnisi ad ordinandum, seù disponendum, ut executioni mandarentur Decreta sacrosancti Concilii? Ejusmodi porrò

testi-

testimonia non subdititia sunt, non fucata, non obscura, sed authentica, luculentissima, & validissima: Neque tu illa satis expendisti Drejere; quî enim expendisses, si non constabas animo? Nam videsis, mi vir, ubique doces, Imperatores Conciliis præsedisse tantùm *in externis*, & ubique etiam illthoc Imperatorium nonnisi externum moderamen objectas Papis. Igitur, si credis, Imperatores, per id quod externa moderati sunt in Conciliis, functos fuisse munere Sũmi Hierarchæ; non satis sobrius es: Si non credis, Imperatores, externa in Conciliis moderando, Pontificiũ munus obiisse, objicis tamen, Imperatores olim Conciliis præsedisse *in externis*, quasi hoc Papæ, sivè Summi Pontificis auctoritatem Hjerarchicam labefactaret; mentis omninò commotæ es. Et, quod penè memoria exciderat, vel dolo, nobiscum agis, vel non constas animo, dum

ais, Imperatores Patribus Chalcedonensibus præscripsisse legem, nè aliter de Persona Christi disputarent, quàm in Concilio Nicæno erat statutum: Nunquam nè igitur legisti S. LEONIS AD MARTIANUM IMPERATOREM Epistolam quadragesimam, & primam post quadragesimam? Legisti; (ut opinor;) Sed vel dissimulas, ut in fraudes clientulos tuos illicias, vel vis animi penitùs te destituit; Siquidem constat ex duabus his epistolis, ipsum eundem S. Leonem Martiano injunxisse, ut legem Synodo Chalcedonensi præscriberet, nè de Christi Persona disputaretur aliter quàm statutum fuerat in Nicæna. En verba S. LEONIS ad ipsum Imperatorem Martianum: [a] *Illud porró jubeatis, ut antiquæ Nicænæ Synodi constituta,* (scilicet de Persona Christi) *remota hæreticorum interpretatione, permaneant.* Liquet ergo, Martianum non fuisse

[a] Concil. Chalced. Epist. S. Leonis 41.

nisi

nisi executorē legis, quam ipse Papa Synodo præscripserat. Quinimò vel hinc luce meridiana clarius est, Papam Romanum in illa Synodo non modò Præsidem, & Judicem per Legatos suos, sed &, ut nihil omninò deesset Summo Principatui Hierarchico, Magistrum, & Legislatorem egisse in Controversiis fidei.

7. Tandem verò, ut rem omnem paucis complectar, ipse idem, qui Concilio Chalcedonensi per Legatos suos præsedit, Sanctissimus, atque Beatissimus Papa LEO,

[a] *Moribus, eloquio, doctrinæ lumine* MAGNUS [a in Vita S. Leonis.]

(ut nuper cõfessus est HOFMANNUS Basiliensis ex Professoribus Calvinianis) atque [b] *Vir Divinarum Literarum eruditissimus* (teste *Johanne* STUBNERO Lutherano) *& qui Attilam Hunnorum Regem à devastatione Urbis Romæ averterit facundia sua, & auctoritate: atq; infremuerit* [b Synopsis Hist. Ecclesiast.]

muerit tanquam Leo contra Manicheorum reliquias, Romæ sub ovina pelle latitantes : Ipse (inquam) LEO MAGNUS. [a] *Si quid* (ait) *á nobis rectè agitur, rectèque disponitur, si quid à Misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius* (PETRI) *est operum, atque meritorum, cujus in Sede sua vivit Potestas, & excellit Auctoritas*. Docet ergo S. Leo, in Romana Sede vivere, & excellere Auctoritatem, & Potestatem Divi Petri Apostoli; Docuerat autem hanc esse Petri Apostolorum Principis Potestatem, ut nempè b *Quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores; omnes tamen propriè regat Petrus*. Non aliud ergo regimen in Ecclesia, quàm Monarchicum esse statuit Leo Magnus, nimirum, ut *quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores; omnes tamen propriè regat Papa*, quippè in quo

[a] Serm. 2. anniversf. de Assūpt. sua ad Pōt.

b Serm. 3. de assūpt. sua.

vivit

vivit Potestas, & excellit auctoritas Petri. Et quamvis demum adversarii, nè causa penitùs cecidisse videantur, id nobis heic reponere consueverint, nimirùm [a] *Non videndum esse, quid Romani Pontifices, fimbrias suas dilatantes, sibi arrogarint, sed quid ipsis de jure competat*; Satis tamen est, ostensum fuisse hactenus, Protestantes esse reos mendacii, calumniæ, maximæquè perfidiæ. Siquidem asseverant, Papam Romanũ in quatuor primis Conciliis Universalibus indicendis, & celebrandis nõ gessisse Personam Pastoris Oecumenici, cùm tamen demonstratum sit, Papam, consentiente, ac subscribente sacrosancta Synodo Chalcedonensi, quæ fuit ultima ex primis quatuor, vocatum fuisse Caput totius Ecclesiæ Christianæ, præditum Auctoritate Divi Petri Apostolorum Principis, quin & de facto Papam in eadem Synodo egisse Pastorem Oecumenicũ,

[a] apud Drejerum loc. cit.

Legiſlatorem, & Supremum Judicẽ Controverſiarum, nempè, jubendo, ut Conſtituta antiquæ Nicænæ Synodi permanerent: propriaque Auctoritate Apoſtolica confirmãdo Patriarchas Conſtantinopolitanum, & Antiochenum, deponendo Patriarcham Alexandrinum, & reſtituendo Epiſcopum Cyri, qui ad Apoſtolicam Sedem appellaverat: Tum hæc omnia rata fuiſſe Patribus ipſius Concilii Chalcedonenſis, necnon eos rogaſſe demum ab ipſo Papa, tanquam à Patre filios, judiciorum ſuorum approbationem, & ſe, ſpontè quidem ſua, ipſi Papæ, tanquam membra Capiti, ſubjeciſſe. Aſſeverant etiam Proteſtantes, Papas hodiernos eſſe Beſtias Apocalypticas, Pſeudo-prophetas, & Antichriſtos, ob id potiſſimum, quòd ſe ipſi iidem Papæ credunt, & ſe eſſe docent Monarchas totius Eccleſiæ Chriſtianæ; Cùm tamen oſtẽſum ſit, Sanctum Leonem, quem Lu-

therani

therani ſimul, & Calviniſtæ agno-ſcunt, tanquam Patronum Orthodo-xiæ, & verè MAGNUM, tam pietate, quàm Sacra doctrina, & zelo, docuiſſe palàm, Papas præditos eſſe Poteſtate S. Petri Apoſtoli, & eam eſſe omninò Monarchicam, nimi-rùm, *ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multi-que Paſtores; omnes ta-men propriè regat Pe-trus, quos principa-liter regit, & Chriſtus*.

THEO-

THEOREMA IV.

Papam Romanum esse Monarcham totius Christianæ Hierarchiæ, luculentissime patet ex Actis Concilii Ephesini.

1. SEd neque minus captionum, atque præstigiarum adhibēt adversarii in pervestigandis, & recensendis iis, quæ acta sunt in Concilio Ephesino; adeò enim technis suis confidunt, ut non vereantur inficiari, Cœlestinum Papam Auctorem extitisse hujus Synodi, eidemq; per Vicarios suos præsedisse, atque auctoritatem intulisse. At verò, tametsi hanc Synodum Imperator indixerit; [a] *Cyrillus* tamen (ut refert EVAGRIUS) *postulavit, ut auctoritate, ac nutu Theodosii Junioris, qui tunc Orientis administrabat Im-*

a lib. 1. c. 3.

Imperium, primum Conciliũ Ephesi cogeretur. Cyrillum autem non modò pridem Vicariam Cœlestino Papæ operam impendisse, sed & ejus in hac Synodo locum obtinuisse, legitur in Actione prima, secunda, & tertia ejusdem Concilii. Ubi [a] *Riserus* ità profectò se redactum esse ostendit ad angustias, ut parum ipsi prodesse videantur Doctores, quos vocat *Veritatis Evangelico-Catholicæ* (nescio tamen, utrum Sorbonici captare velint à Lutheranis hæc Elogia) *Testes, & Confessores*. Cæterùm perspectũ jam est, quod, Cùm circa annum Christi 428. cœperit Nestorius suum virus exsibilare, anno sequenti confutaverit ejus dogmata Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, atque tum certior factus hac de re Cœlestinus Papa, Synodo mox coacta Romæ, ibidemq; re conquisitè discussa, non modò decreverit, ut Nestorius, nisi resipisceret intra decem dies, abdicare-

tur

[a] in Anti-Bellarmino Vindicato.

tur Episcopatu, atque privaretur Sacerdotio, & Ecclesiæ communione, sed & hujus à se latæ sententiæ executorem constituerit Cyrillum, monueritque hac de re Clerum Constantinopolitanum: sed cùm res illicò devoluta fuisset in Synodum Oecumenicã; [a] *Episcopi qui Ephesi convenerant — Cyrillo, locum Cœlestini, Episcopatum antiquæ Romæ gerentis, obtinente*, (uti habetur apud eundem EVAGRIUM) *accersiverint Nestorium.*

[a] lib. 1. c. 4.

2. Hactenus omnia nobis constant cum adversariis, nisi quòd inficiantur nonnulli, & præcipuè LAUNOYUS, Cyrillum in hac Synodo Cœlestini Papæ locum obtinuisse: quippè opinantur, Cyrillum, ubi hæc Synodus indicta est, desiisse vices gerere Cœlestini, nempè quia non appareat, Cœlestinum Cyrillo Vicariã Præfecturam prorogasse; Legatis enim Sedis Apostolicæ non annume-

ratur

ratur Cyrillus, neque is porrò in eadem Synodo vel se vocat, vel se ab aliis vocari audit Vicariū Cœlestini. Hinc ergo est, ut testimonia [a] totius Concilii Chalcedonensis, [b] totius cōsessus Episcoporum Armenię primæ, [c] integri Cætus Episcoporum Europæ, [d] Martiani Imperatoris, [e] Imperatricis Pulcheriæ, [f] Petri Diaconi, [g] Imperatoris Justiniani, [h] Imperatoris Constantini Quarti, [i] Juliani Cōensis Episcopi, [k] Joannis Episcopi Neapolitani, (qui quidem, vel Præsides Synodi Ephesinæ fuisse Cœlestinum, & Cyrillum, vel hanc Synodum sub Cœlestino, & Cyrillo fuisse congregatam, vel fuisse damnatum Nestorium in hac Synodo à Cœlestino, & Cyrillo, literis tradidere) non aliter interpretetur LAUNOYUS [l], quàm „Synodū Romanā, & „Ephesinam de eadem re, duobus adeò „vicinis temporibus fuisse celebratas; „ut una, & eadem fuisse videatur, quia hæc

[a] Act. 5.
[b] Ep. ad Imper. Leo.
[c] vide Cōcil. Chalc. cap. 27. & 28. part. 3.
[d] C. Chalc. p. 3. cap. 9.
[e] ibid. c. 14
[f] lib. de Incarn. & gratia c. 1.
[g] Collat. 1. Conc. Cōstantinop. V.
[h] Edict. pro VI. Syn.
[i] Concil. Chalc. p. 3. cap. 47.
[k] in relat. ad Papam Hormisd.
[l] apud Rifer. in Anti-Bellar. pag. 581.

„hæc Ephesina negotio à Romana in-„choato imposuit finem, atq; sic Acta „utriusque miscentur inter se, itaut „unum corpus efficiant, quia videlicèt, „uti dictum est, utraqve Synodus rem „agit eandem, & quæ in Romana sunt „gesta, in Ephesina repetuntur, neq; „repetuntur tantùm, sed etiam prædi-„cantur, atque in auctoritatem admit-„tuntur. Quàm verò sint tenues, & jejunæ Launoyi subtilitates ex eo perspicuum est, quod se non ausum fuisse fateatur Sanctus CYRILLUS Patriarcha Alexandrinus à Nestorii communione divellere, antequam Papa decerneret quidnam hac in re agendum foret: Quippè: [a] *Non prius* (ait Cyrillus in Epistola ad Cœlestinum) *Nestorii communionem palam, apertèque deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus: digneris proindè quid heic sentias declarare, quo liquidò nobis constet, communicarenê nos cum Nesto-*

[a] Concil. Ephes. p. 1. c. 14. pag. 244. recēt. l.abb.tom. 3.

Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denunciare, neminem communicare cum eo, qui ejusmodi erroneā doctrinam fovet, & prædicat. En ergo Cyrillus, tametsi & ipse sit Patriarcha, & causam Nestorii satis, superque perspectam habeat; agnoscit tamen, atque ultrò confitetur, sibi non eam in cæteros Patriarchas Potestatem esse, quæ Cœlestino; hujus verò sententiam efficere posse, ut omnibus liquidò constet, utrum oporteat, necnè, cum Nestorio communicare. Sed quid ad hæc COELESTINUS? Ille, re jam perpensa, non quidem hæsitanter, sed ut Summum totius Ecclesiæ Christianæ Magistratum decet, intrepidè, neque alia quàm Apostolica suæ Cathedræ fretus Auctoritate, Patriarchæ Nestorio leges præscribit, & pœnas minatur, quin & sententiæ à se latæ executorem, suumq; proindè Vicariū constituit Cyrillum, his verbis usus

a Concil. Eph. cap. 15. par. 1. pag. 349. tom. 3. rec. Labb.

in delegatione [a] NOSTRæ SEDIS AUCTORITATE ASCITA, NOSTRAQ; VICE, & LOCO CUM POTESTATE usus, *ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris, ut nisi decem dierum intervallo, ab hujus nostræ admonitionis die numerandarum, nefariam doctrinam suā conceptis verbis anathematizet (Nestorius) eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum se confessurum spondeat, quam & Romana, & tuæ Sanctitatis Ecclesia, & universa denique Religio Christiana prædicat; illicò Sanctitas tua illius Ecclesiæ prospiciat.* Quidnam autē per illa verba NOSTRæ SEDIS AUCTORITATE ASCITA, NOSTRAQ; VICE, & LOCO CUM POTESTATE usus, indigitari unquam potuit, nisi quod nec Sedi Alexandrinæ, nec Synodo Nationali contra Nestorium coactæ, & cui præfuit ipse Cyrillus, tantundem Auctoritatis, & Potesta-

tis

tis fuerit, quantum ad deponendum Nestorium Patriarcham requirebatur, sed id muneris ad solum Papam pertineat? Tum certiorem etiam hac de re fecit COELESTINUS Clerum Constantinopolitanũ, dicens [a] Quia nostra in tanto negotio propèmodũ præsentia necessaria videbatur; VICEM NOSTRAM — IPSI FRATRI CYRILLO DELEGAVIMUS, nè morbus iste, longitudinis occasione grassetur. Quinimo & ipsum eundem Nestorium monuit Papa COELESTINUS his verbis [b]: *Nostri in te Judicii formulam — per filium nostrum Possidonium Diaconum ad Sanctum Cyrillum — Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopum transmisimus, ut, noster hac in parte Vicarius, efficiat, quò nostrũ Decretum, & tibi, & reliquis quoq; omnibus fratribus patefiat.*

[a] Concil. Ephes. cap. 19. part. 1. pag. 373. tom: 3. rec. Labb.

[b] Concil. Ephes. ibid. cap. 18. pagin. 364. rec. Labb.

3. Hæc autem satis essent, ut omnes pro comperto habeant, Cœlestinum Papam functum fuisse mu-

nere

nere Summi Hierarchæ, non modò non reclamantibus Patribus Orthodoxis, verùm etiam Vicariam hac in re ipsi Papæ operam impendente Sancto illo, magnoque Orthodoxiæ Vindice, Cyrillo Alexandrino: Sed, ut etiam enucleatè pateat, quomodo sese res habuerit in ipso eodem Concilio Ephesino, ea se nobis perpēdēda offerunt, quæ Legatus Apostolicæ Sedis PHILIPPUS coram pleno ejusdem Oecumenicæ Synodi consessu profatus est: [a] *Nulli dubium est* (ait Philippus) *imo seculis omnibus notum est, Beatissimum PETRUM Apostolorū Principem, & Caput, Fideique columnam, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino JESU CHRISTO Seruatore nostro, humanique generis Redemptore Cœlestis Regni Claves accepisse,*

[a] Concil. Ephesin. action. 3. pag. 626. tom. 3. rec. Labb.

cepisse,

cepisse, solvendique, atque ligandi Potestate, quam acceperat, usum fuisse; necnon per Successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere, semperque victurum esse. Hujus itaque Ordinarius Successor, & Vicarius Sanctus, Beatissimusque Papa, & Episcopus noster COELESTINUS nos suos pro se quasi Vicarios ad hanc Synodum misit. Ecquis verò heic non cernit, nihil omninò aliud proponi à Philippo, quàm se unà cum cæteris Legatis Papæ Cœlestini in Conciliũ venisse, ut causas decerneret; id enim ad Cœlestinum pertinere, tanquam ad Ordinariũ Successorẽ Petri Apostoli, propterea quod Petrus Cœlestis Regni Claves acceperit, solvendiq; atque ligandi, quam acceperat, Potestate usus fuerit, & per Successores

ſuos (etiam in medio Concilii Oecumenici) uti debeat, atque uſurus ſemper ſit? Hoc autem quidnam quæſo eſt, niſi dixiſſe, & velle, ut ratum, firmumque ſit toti Epheſino Concilio, Papam eſſe Paſtorem Oecumenicum, Supremumque Judicem controverſiarum, & in Romana Sede *vigere* (ut olim ajebat Sanctus Pater [a] AUGUSTINUS) *totius Eccleſiæ Chriſtianæ Principatum*?

[a] Epiſt. 162.

4. Sed quod Launoyi, Riſeri, Heideggeri, atque omnium Hæreticorum vires enervat, & machinationes funditus demolitur, id potiſſimùm eſt, quòd nempè nondum Philippus, Romanæ Sedis Legatus, hæc profatus erat, quando ab hac eadem Oecumenica Synodo literis Cœleſtini Papæ acclamatum eſt, & quando Patres conſcripti per FIRMUM Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum locuti ſunt his verbis [b] SACRA, & APOSTOLICA CŒLESTINI — SEDES

[b] Concil. Epheſ. act. 3. pag. 618. tomi 3. ex rec. Labb.

iis,

iis, quas pridem ad Cyrillum Alexandrinum, Juvenalem Hierosolymitanum, & Rufum Thessalonicensem Sanctissimos, Sacratissimosque Episcopos, necnon ad Sanctas Constantinopolitanã, & Antiochenam Ecclesias misit, CERTAM DE PRÆSENTI NEGOTIO SENTENTIAM, REGULAMQUE PRÆSCRIPSIT; QUAM NOS PROINDÈ SECUTI, *forma Canonum diligenter ubique observata*, CANONICUM, APOSTOLICUMQ; JUDICIUM IN NESTORIŨ EXERCUIMUS. Eant jam cum hariolationibus suis Protestantes, uti & cæteri, qui mendacia depromunt ex Republica Marci Antonii de Dominis, & eant etiam Sorbonenses Richerius, & Launoyus, & sciscitentur, quis nam præsederit Ephesinæ Synodo, ubi, præscriptas fuisse ab Apostolica Cœlestini Sede Patriarchis, Episcopis, & Ecclesiis Orientis de causa Nestorii certas, seù defini-

tas ſententias, & regulas, fatetur ipſa eadem Generalis Synodus, non modò non vitio vertens Pontificibus Romanis, quòd in omnes Eccleſias Mundi Auctoritatem ipſi ſuam extendant, ſed & referens, se fuiſſe secutam eaſdem, quas Romanus Pontifex Cœleſtinus præſcripſerat, ſententias, & regulas.

Dixiſſe quidem videtur FIRMUS, nomine totius Concilii Epheſini: Benè quidem eſt, ò Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati, quod ad Nos veneritis, ut cauſas in hac Synodo decerneretis; ſed neque tamen unquã nos Decretis Apoſtolicæ Sedis, cujus partes heic agitis, refragati ſumus, neque Judicium in Neſtorium exercuimus, niſi ſecuti certam ſententiã, regulamque, quam Sacra, & Apoſtolica Cœleſtini Sedes præſcripſerat, quin & ad hoc reſpeximus antequam in Neſtorium animadverteretur; quandoquidem proclamatum

eſt

est: [a] *Per Sacros Canones, (Sanctissimique Romanæ Ecclesiæ Episcopi* Cœlestini Patris Nostri *literas, lacrymis subindè perfusi, ad lugubrem sententiam necessarió venimus*.

[a] Concil. Ephes. act. 1. pag. m. 533. tom. 3 ex recens. Labb. Item act. 3. pag. 623.

5. Cæterùm neque illud silentio prætereundum est, quòd nempè hæc eadem Oecumenica Synodus causam Joannis Episcopi Antiocheni judicio Papæ Cœlestini reservaverit: &, nè dicant ii, qui Conciliabulo Basiliensi patrocinantur, voluisse hanc Synodū ipsi Papæ, tanquam suo Delegato hanc causam judicandam committere; volvenda sunt Acta hujus, & cæterorum omnium Conciliorum; nunquam enim videbuntur Papæ, vel Conciliorum, vel Patriarcharum egisse Vicarios: & non de cætero extarent in Actis verba istiusmodi legationis? Contra verò (non aliter, ac de Concilio Chalcedonensi ostensum est, atque de cæteris osten-

dendum) eadem hæc Sacra Ephesina Synodus non modò, à se sententias Cœlestini executioni mandatas esse, sibique Decreta ejusdem Papæ fuisse tanquam Legem, & Regulam, confessa est; verùm etiam scripsit ad Imperatores, quod [a] *Suam — sententiam, antequam ulla Synodus cōveniret,* Cœlestinus *per literas suas indicaverat, Cyrilloque — ut suas hac in parte vices subiens, Romæ definita perficeret, commiserat.* Quî ergo fieri potuisset, ut Cœlestino tanquam suo Delegato causam Episcopi Antiocheni judicandam committeret hæc Synodus, quæ ratum habet, potuisse Cœlestinum animadvertere in Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum, antequam ulla Synodus Ephesi conveniret? Tum, sicuti nunquam legitur, Papam Decreta sua Cōciliis subjecisse, ità sēper Cōcilia, quātūvis Oecumenica, Actorum suorum confirmationem

[a] Cōc. Eph. act. 3. pag. 631. to. 3. rec. Labb.

nem rogaverunt à Papa, & præsertim hæc Synodus Ephesina, utpotè quæ scribens hac de re ad Cœlestinum: [a] *Ut omnia* (dixit) *quæ hic gesta sunt cognoscas, integros Actorum commentarios misimus, & Synodi subscriptiones*. Et, ne quis reponat, hoc Concilium voluisse id honoris deferre Papæ Romano, potuisse tamen aliter agere; operæpretium est etiam nosse, quod, quamvis interfuerint Concilio Legati Sedis Romanæ, & suffragati sint; confessi tamen fuerint Patres hujus Concilii, quòd [b] *Necessitas exigebat, ut omnia, quæ in hac Sacra Synodo acciderunt, Sanctitati Cœlestini Papæ exponerentur*.

[a] Concil. Ephes. act. 5. pag. 667. to. 3. recens. Labb.

[b] ibidem pag. 659.

6. Atque hactenus ea de Cõcilio Ephesino recensuisse sufficiat, quæ in nostrum scopum collineant. Sed quoniam præter suas captiones nihil reposuit LAUNOYUS ad id, quod Actione prima, secunda, tertia, &

quarta hujus Synodi dicatur Cyrillus locum tenere Cœlestini, nisi, quod [a] *hæc verba sint Scribæ, seù Notarii, qui Acta Synodi literis prodidit*; id pro coronide adjicere lubet, nimirùm non satis fuisse Launoyo in jus trahere [b] Menam Episcopum Constantinopolitanum, [c] Liberatum Diaconum Carthaginensē, [d] Marcellinum Comitem, [e] Evagrium, [f] Mansuetum Episcopum Mediolanensem, [g] Photium, [h] Zonarā, [i] Nicephorum, [k] Nilum, [l] Cedrenū, aliosq; inter quos omnes summus est consensus, Cyrillum in Concilio Ephesino Vicarium Cœlestini Papæ egisse; ni falsitatis postulasset Notarium Apostolicum ejusdem Sacrosancti Ephesini Concilii. At, at, ò Launoye, quid si etiam adduxisses in discrimen reliqua quæ literis tradita sunt ab illo Notario? Et nonnè vides quorsum furor te arripuerit? Scilicèt, ut Schisma Basiliensis Conciliabuli,

[a] apud Riserum pag. m. 577.

[b] vide Cōstitutū Vigilii Papæ.

[c] cap. 5. Breviar.

[d] in Chronico.

[e] lib. 1. cap. 4.

[f] Epist. Synodica ad Constant. IV.

[g] in lib. de Synod.

[h] in histor. Eccles.

[k] lib. de Synod.

[l] Compēd. Historico.

liabuli, quòd pridem in vulnas ſuas exceperunt nonnulli ex veſtris fove: res etiam tu per fas, atque nefas, parum abfuit quin Acta ipſa, Sacroſanctæ Epheſinæ Synodi ſuſpecta redderes; atque ità demum peſſum dares totam Eccleſiam Chriſtianam!

THEOREMA V.

Pontificem Romanum esse Principem, & Caput totius Christianæ Hierarchiæ, patet ex duobus primis Oecumenicis Conciliis, atq; ex iis; quæ circa illa tempora gesta sunt.

1. EGO quidem non video, undè nam [a] RISERUS cum suo LAUNOYO arripere potuerit ansam succensendi BELLARMINO, quarè per id, quod Concilium Nicænum indictum fuisse dixit [b] RUFFINUS, EX SENTENTIA SACERDOTUM, nihil aliud intelligi voluerit Bellarminus, quàm unius Papæ Sylvestri jussu convocatos fuisse Patres Nicæam, ut Synodum inibi celebrarent. Non hùc sanè respexit cordatissimus ille vir, sed eò potiùs, quod

a in Anti-Bellarmin. Vindic.

b lib. 10. cap. 1. Hist. Euseb.

neu-

neutiquam credendum sit, magnam hanc Synodum fuisse coactam, nisi consilio, atq; suasu Ecclesiasticorum, & Patriarcharum quàm maximè; sed nunquid causæ fuit, ut Sylvestri judicium de cogenda Synodo posthaberi debuisset? Non certè id postulabat auctoritas Primæ Sedis, nec tanti Viri sanctitas, tam benè Imperatoribus ipsis perspecta, & probata. Sed, quàm dolosè hic agant hostes Ecclesiæ Romanæ, vel ex eo potissimùm liquet, quod temporibus ipsius Athanasii, atque adeò circa tempora primi Concilii Nicæni, Orientales Patriarchæ non modò ad Romanam Sedem, tanquam ad Primam, & Apostolicam, appellabant, sed & singuli (modò tamen de ipsorum innocentia constitisset) suis Ecclesiis restituebantur à Papa Romano: Nam, ut interim demus, eam, quæ, nomine Athanasii, & Episcoporum AEgypti, Thebaidis, & Lybiæ, circumfer-

tur

a lib. 3. de Concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 5.
b p. 4. Notarum ad Synodorũ Canones pag. 362.
c ad an. 357
d Sozom. in hist. tripar. lib. 4. c. 15. pag. m. 361.

tur, Epiſtolam ad Felicem ſecundũ, ſuppoſititiam eſſe, ut placet [a] *Petro de Marca*, [b] *Chriſtiano Lupo*, quin & ipſi [c] *Baronio*; Nemo tamen infitias iverit, Athanaſium inſidiis Arianorum undique circumventum, se Romam recepiſſe ad Papam Julium; ſiquidem refert SOZOMENUS, quòd „[d] Athanaſius Alexandrinus, Paulus „Conſtantinopolitanus, Marcellus „Ancyranus, Aſclepas Gazenſis, & „Lucianus Adrianopolitanus Epiſco„pi confugerunt ad Apoſtolicam Se„dem, & quod cognoſcens Romanus „Pontifex crimina ſingulorum; — eos „in communionẽ ſuſcepit, *Tanquam* „*omnium curam gerens, propter Sedis* „*propriæ dignitatem, ſingulisque red*„*didit ſuas Eccleſias*, & Orientalibus „ſcripſit Epiſcopis, culpans eos, quòd „non rectè tractaſſent viros inculpabi„les, de suis Sccleſiis eos expellentes, „& quòd conſtitutiones Nicæni Con„cilii minimè obſervaſſent, *Quorum*

paucos

„*paucos ad certam diem sibimet adesse*
„*præcepit, ut coram eis ostenderet ju-*
„*stum se super illis protulisse decretũ*,
„& deinceps se non passurum intermi-
„natus est, nisi ab hujusmodi turbis, &
„novitate cessarent. At ille quidem
„(subdit SOZOMENUS) hæc scripsit;
„Athanasius autem, & Paulus Episto-
„las Julii Orientalibus Episcopis mi-
„serunt, & singuli eorum suas sedes
„adepti sunt. Quo sanè Protestantiũ
iniquitas oculis omnium facilè subji-
citur; quandoquidem floruit Sozo-
menus inter initium, & mediũ quin-
ti seculi, & tamen non diffitetur, vi-
sum fuisse Julio Primo Summo Pon-
tifici, ad se causam omnium Eccle-
siarum jure Apostolico pertinere.
Quamvis autem [a] „Orientales Epis- *a* idẽ ibid.
„copi in Antiochia congregati rescrip- cap. 16. p.
„serint Julio Epistolam ornato quidẽ m. 362.
„stylo compositam, ironià autem ma-
„ximè plenam, utpotè in qua fateban-
„tur, circa omnes Romanorum Eccle-
siam

„ſiam eſſe munificam, — se verò non
„propterea secũdo loco habendos exi-
„ſtimabant, eò quod non magnitudi-
„ne, aut multitudine abundarent Ec-
„cleſiarum. Nihilominus, ut in eadẽ
historia tripartita refert SOCRATES
[a] „Julius iterum ſcripſit eis, qui fue-
„rant in Antiochia congregati, cul-
„pans eos primùm de injuriis literarũ,
„deindè, quod se ad Synodum suam
„non vocaſſent, *Canonibus nimirum*
„*jubentibus, præter Romanum Pon-*
„*tificem nihil poſse decerni.*

a Socr. in hiſt. tripart. lib. 4. c. 19.

2. Cæterùm, jure nè, an secùs hæc egerit Julius Papa, & quidnam de refractariis illis Epiſcopis Antiochiæ congregatis ſenſerint antiqui Patres Orthodoxi, non eſt, ut id nobis commoſtrent Proteſtantes ex Republica Eccleſiaſtica Marci Antonii de Dominis, vel ex Alſtedii Chronologia, sed conſulenda sunt acta ipſa Synodi Sardicenſis, quæ Magnæ Synodi Nicænæ eſt veluti Appendix,

quippè

quippè quod utriq; præſederit Oſius Epiſcopus Cordubenſis, atque major pars eorundem Patrũ, Sancto Athanaſio teſte, utriq; interfuerit. Quantùm verò tribuant Proteſtantes Synodo Sardicenſi ſatis apertè liquet ex confeſſione ipſius ejuſdem PHILIPPI MELANCHTONIS, utpotè qui de antiquis Conciliis faſſus eſt in *Chronico Carionis*, quòd [a] ***Multa fuerunt piæ Synodi, ut Anno Chriſti 273. Antiochena – deinde Anno Chriſti 238. Nicæna contra Arium, & Novatianos. Anno 350. Sardicenſi, quæ Nicænam confirmavit, &c.*** Sed en, quid hac de re viſum eſt Patribus Concilii Sardicenſis: Ipſorum quidem apud THEODORETUM extat epiſtola Synodica, ubi inter cætera hæc leguntur: [b] „Pridem „itaque Euſebius, & Maris, & Theo„dorus, atque Theogonius, Urſacius, „& Valens, & Minophantus, & Ste„phanus ſcripſerunt Julio commini-

ſtro

[a] in Chronico Carionis.

[b] hiſt. tripart. lib. 4. cap. 24. pa. 366.

„ſtro noſtro Eccleſiæ Romanæ Ponti-
„fici contra prædictos Conſacerdotes
„noſtros Athanaſium Epiſcopũ Ale-
„xandriæ, & Marcellum Epiſcopum
„Ancyræ Galatiæ, & Aſclepam Ga-
„zæ. Scripſerunt quoq; ex aliis par-
„tibus Epiſcopi, teſtimonium perhi-
„bentes puritatis Athanaſii Conſacer-
„dotis noſtri, & ea, quæ ab Euſebio,
„& conſectatoribus ejus geſta sunt,
„nihil aliud, quàm calumniis, & men-
„daciis plena eſſe affirmantes: *Cúm*
„*utique evocati á chariſſimo, & Con-*
„*ſacerdote Julio, & non occurrentes*
„*(ſicut ſcriptis ejuſdem Epiſcopi Julii*
„*comprobatur) apertè videantur ca-*
„*lumniatores exiſtere: Nam, ſi de*
„*geſtis contra eos habitis præſumpſiſ-*
„*ſent, non cunctarentur occurrere.*
Hinc ergo luculentiſſimè patet, ra-
tum, ſancitumque habuiſſe Patres
Sardicenſes, potuiſſe Julium Papam
tanquam omnium curam gerentem,
propter Sedis nempè propriæ digni-
tatem

tatem, ut ajebat Sozomenus, Patriarchas, & Episcopos Orientis ad se vocare, atque in illos judicium ferre. Noverant quidem Patres hujus Concilii, duos Patriarchas, Athanasium nempè Alexandrinum, & Paulum Constantinopolitanum, uti & tres alios Episcopos Ecclesiis suis à Papa Julio fuisse restitutos: Tum, Episcopos Antiochiæ congregatos noluisse præceptis Julii Papæ obtemperare, ob id potissimum, quod [a] *se non secundo loco habendos existimabant, eo quod non magnitudine, aut multitudine abundarent Ecclesiarum*; Tantùm vero abest, ut Julium Papam, vel usurpatæ Jurisdictionis, vel superbiæ reum peregerit Sacrosancta Synodus Sardicensis, ut potiùs huic Synodo Episcopi Antiochiæ congregati, *evocati* à Julio Papa, *& non occurrentes*, videantur *calumniatores* existere.

[a] Hist. Trip. part. lib. 4. c. 16. pag. 362.

3. Et hæc quidem ità se habere

 osten-

oſtendimus ex authenticis teſtimo- niis Sozomeni, Socratis, & Theodo- reti. Quòd ſi jam binis illis Julii Pa. pæ Epiſtolis ad Orientales, & Antio- chenos fidem adhibere velimus; (& ſanè miror, quòd nonnullis viſæ ſunt ſubdititiæ ejuſmodi Epiſtolæ, quarũ tam crebra facta eſt mẽtio in hiſtoria tripartita) Legitur quidẽ in reſcripto *Julii* Papæ *contra Orientales pro Athanaſio*: [a] *Decuerat vos adver- ſus Sanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam limatè, & non iro- nicè loqui* — atque *ut ad regularem veniretis convocationem*, — *cur, no- bis inconſultis, Epiſcopos Antiochiã convocaſtis, ad quam nec Maximus Hieroſolymitanus venit, nec noſtra interfuit Legatio, Canonibus quippè in Nicæna Synodo jubentibus, non debere, præter ſententiam Romani Pontificis ullo modo Concilia cele- brari, nec Epiſcopos damnari*. Sed dices, hæc ſuppoſititia eſſe, nam ubi ſunt

[a] in tom. 1. Cõcil. edit. Colon. pag. 184.

ſunt hujuſmodi antiqui Canones, & ubinam in Nicæna Synodo ſtatutum eſt, non debere præter ſententiam Romani Pontificis ullo modo Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari? Verùm ad hæc ego: Undènam habuit Socrates, reſcripſiſſe Julium Papam eis, qui fuerant in Antiochia congregati, illos culpantem de injuriis literarum, & quod ſe ad Synodũ non vocaſſent, quando jam Canones jubent, ſinè auctoritate Romani Pontificis nihil poſſe decerni? Ad quoſnam, quæſò, Canones reſpexiſſe Julium credidit Socrates, & credemus nos, niſi vel ad Nicænos, vel ad antiquiores? De Sardicenſibus quidem id intelligi nequit; ſiquidem hujuſmodi Epiſtolæ Synodum Sardicenſem præceſſere. Contra verò, ut parum ſit, retuliſſe de eodem Papa Julio, *Nicephorum*, quod [a] *Pro amplitudine Sedis ſua ex veteri privilegio, & prarogativa perſuaſum habue*-

[a] lib. 9. hiſtor. Eccl. cap. 8. pag. 397.

rit Julius Papa, omnium ubiq; Episcoporum curam, & judicium ad se pertinere ; Ex eo tamen, quod de Eusebianis refert THEODORETUS, nempè dicens, quòd [a] *Julius Papa, Ecclesiæ Canonem secutus, eos jusserit Romam venire*, multum quidem roboris accedit eorum sententiæ, qui rati sunt, Acta, & Canones Magnæ Nicenæ Synodi fuisse à Græcis hæreticis magna ex parte corrupta, & mutilata, saltem quo ad ea, quibus Auctoritas Ecclesiæ Romanæ foveri videbatur : & sanè conquesti sunt hac de re Gregorius Magnus, & nonnulli alii Pontifices. Cæterùm neq; binis illis, quæ in Tomis Conciliorũ leguntur, Epistolis Julii Primi ad Orientales, datis, *Feliciano, & Maximo* Coss. neque iis, quæ Marci Papæ nomine, decimoque Kalendas Novembris, datæ legũtur ad S. Athanasium, & ad cæteros AEgypti Episcopos de numero Nicænorum Canonum,

[a] lib. 2 hist. Eccl. c. 4.

nonum, quos illi apud se deperiisse conquesti fuerant, innixam esse dixerim auctoritatem Ecclesiæ Romanæ: Nam, sicut nihil ego binis illis literis ad Episcopos Antiochiæ congregatos de sua fide detractum volo, ità neque vellem in [a] *Natalis Alexandri*, [b] Patrumque *Enschenii*, & *Papebrochii* censuram incurrere, præsertim quando ipsi eidem *Baronio* (ad annum 336) Rescriptum Papæ Marci de numero Nicænorū Canonum videtur omninò subdititium, & quando jam satis de cætero, superque quicquid de appellatione D. Athanasii ad Papam Julium ostendendum susceperamus, demonstratum reliquimus authenticis testimoniis Sozomeni, Socratis, & Theodoreti, atque potissimùm authentico Sardicensis Concilii Rescripto, quod extat in Istoria Tripartita: Nam, quid quæso amplius requiritur, ut luculentissimè pateat, Pontifices

[a] par. 1. Secul. 4. p. 19.

[b] in Propileo pag. 5[illegible]

Romanos longè ante Conciliũ Ephesinum, quin & ante Concilium Constantinopolitanũ obiisse munus Supremi Hierarchæ supra omnes Ecclesias tam Orientis, quàm Occidentis, ubi jam ostensum est, Julium Papam proprio jure Apostolico decidendam suscepisse causam Patriarcharum Alexandrini, & Constantinopolitani, eosque sedibus, è quibus injustè deturbati fuerant, restituisse, atque omnia hæc probata fuisse toti Oecumenicæ Synodo Sardicensi, demum verò ipsum Julium Summum Pontificem pro comperto habuisse, se quidem in hujusmodi rebus gerendis non modò propriæ Sedis dignitate inniti, sed & sequi Canones veteraque privilegia? Ecquid hoc, nisi ante tempora quatuor primorũ Conciliorum Generalium, quin & ab Apostolorũ usque temporibus fuisse in Romana Ecclesia Summum Hierarchiæ Principatum, atque id omninò

ninò de jure Divino, Nempè quia [a] *Petro Christus Ecclesiæ Primatum, gubernationemque per universum mundum tradidit*, quemadmodum 40. circiter annis à discessu Julii Primi, apertè confessus est ipse idem Patriarcha Constantinopolitanus, atq; aureus Ecclesiæ Doctor Sanctus JOANNES CHRISOSTOMUS? Qui præterea quantùm Sanctæ Sedi Apostolicæ Romanæ reipsa tribuerit, ex eo potissimùm liquet, quod, ut se novæ Romæ, gregemq; suum assereret à tot, tantisque discriminibus, in quæ ipsum adduxerant Theophilus Alexandrinus, & Imperatrix Eudoxia, confugit ad auctoritatem Innocentii Primi Summi Pontificis, illum quidem his verbis obtestando: [b] *Quapropter, nè confusio hæc omnem, quæ sub Cœlo est, nationem invadat, obsecro, ut scribas, quòd hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & non declinantibus judicium, non habeant*

[a] Homil. de Pęnitentia pag. m. 714

[b] Epist. ad Innocẽt. I. to. 5. pag. m. 827.

beant robur, ſicut neque ſua naturâ habent: illi autem qui iniquè egerunt, pœnæ Eccleſiaſticarum Legum ſubjaceant; nobis verò, qui nec convicti, nec redarguti ſumus, nec habiti, ut rei, literis veſtris, & charitate veſtra, aliorumque omnium, quorũ ſcilicet & antea ſocietate fruebamur, frui concedite. Et vel hinc colligant Proteſtantes, exploratum jam fuiſſe Divo Chryſoſtomo, tanti roboris eſſe in Hierarchia Chriſtiana Juriſdictionem Apoſtolicam Papæ Romani, ut ad lites quaſcunq; rectè decidendas, satis ſit, Papam decernere, quod, quæ iniquè facta sunt, non habeant robur, & qui iniquè egerunt, pœnæ Eccleſiaſticarum legum subjaceant. Judicio ergo Papæ Romani non solùm se ultro submittit ipſe Divus Chryſoſtomus Patriarcha Cõſtantinopolitanus, sed etiam eidem judicio Theophilum Patriarcham Alexandrinum subjici debere aſſerit,

atque

atque re ipsa obsecrat, ut ipse demum Papa in omnes judicium ferat, atque tum latam sententiam exequi jubeat.

4 En quomodo sese res Ecclesiæ Christianæ habebant circa tempora duorum primorum Conciliorũ Generalium. Sed urgebunt Protestantes, neque hinc revera constare, quisnam illa Concilia indixerit, & quisnam illis præsederit. Verùm nihil profectò exploratiùs de Sancto Sylvestro Papa, deque convocatione Concilii Nicæni desiderari unquam potest, eò quod *Sexta Synodus* Oecumenica, cujus quidem Decreta Protestantes ipsi amplectuntur, teste *Drejero* Lutherano, apertè fateatur, [a] *Cõstantinum, & Sylvestrum magnam Synodum apud Nicæam congregaße*. Tum, quantùm ad primum Generale Concilium Constantinopolitanum attinet, si non satis esse videbitur id quod Patres Constantinopoli congregati in Epistola ad Papam

[a] Concil. Constantinop. 3. act. 18.

pam

pam Damasum, quam refert THEODORETUS,[a] *Mandato* (dicant) *literarum superiori anno a Vestra Reverentia ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Cōstantinopolim usq; faciendum nos præparavimus*; id tamen ex hac Epistola deduci volo, quòd, vel ad Generalem illam, vel ad aliam subsequentem celebrandam Synodum convocati fuerint Episcopi Orientales; non tam parvi æstimari potuerit Damasus, ut aliter, quàm ejus consilio, & impulsu Theodosius Magnus Universalem Synodum cogere debuerit. Et hùc etiam collineant verba Patrum Sexti Concilii Oecumenici, dicentium, quod[b] *Macedonius negabat Spiritus Sācti Deitatem, — sed maximus Imperator Theodosius, &* DAMASVS, FIDEI ADAMAS, *obstiterunt protinus*. Ad hæc accedit, in Sacrosancta Synodo Sardicensi, quam ut diximus,

Appen-

a lib. 5. c. 9.

b Concil. Cōstant. 3. act. 18.

Appendicem Magni Concilii Nicæni vocant Patres, de ſummo Eccleſiæ Chriſtianæ Magiſtratu, ſupremoque Controverſiarum Judice fuiſſe decretum, Quòd [a] „ Si aliquis Epiſcopus „ judicatus fuerit in aliqua cauſa, & pu„ tat se bonam cauſam habere, ut ite„ rum judicium renovetur: Et ſi vo„ bis placet, ſancti PETRI Apoſtoli „ memoriam honoremus, ut ſcribatur „ ab his, qui cauſam examinaverunt, „ Julio Romano Epiſcopo: & ſi judi„ caverit, renovandum eſſe judicium, „ renovetur, & det judices: Si autem „ probaverit talem cauſam, ut non re„ fricentur ea, quæ acta sunt: Quæ „ decreverit Romanus Epiſcopus con„ firmata erunt. Si hoc omnibus pla„ cet? ℞ Placet. Item [b] „ Addendũ „ eſt, ſi placet, huic ſententiæ, quam „ plenam ſanctitate protuliſtis, ut quũ „ aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, „ eorum Epiſcoporum judicio, qui in „ vicinis locis commorantur, & pro-

a Concil. Sard. Can. 4.

b Id. Can. 5

clamaverit

„clamaverit, agendum ſibi negotium „in Urbe Roma, alter Epiſcopus in „ejus Cathedra, poſt appellationẽ ejus, „qui videtur eſſe depoſitus, omninò nõ „ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio „Epiſcopi Romani determinata.

Id. Can. 7. Item, „Placuit autem, ut ſi Epiſcopus „accuſatus fuerit, & judicaverint con„gregati Epiſcopi regionis ipſius, & „de gradu ſuo eum dejecerint: Si ap„pellaverit qui dejectus eſt; & confu„gerit ad Epiſcopũ Romanæ Eccleſiæ, „& voluerit se audiri, ſi juſtum puta„verit, & — deprecatione ſua moverit „Epiſcopum Romanum, ut is è latere „suo Presbyterum mittat; erit in po„teſtate Epiſcopi (Romani) quid velit, „& quid exiſtimet. Et ſi decreverit „mittendos eſſe, qui præſentes cum „Epiſcopis (illius Regionis) judicent, „habentes ejus Auctoritatem, à quo „deſtinati sunt; erit in suo arbitrio. „Si verò crediderit Epiſcopos (illius „Regionis) ſufficere, ut negotio termi-

num

„num imponant, faciet (Romanus „Pontifex) quòd ſapientiſſimo con„ſilio judicaverit.

5. Quamvis autem olim circumferebatur ementita quædam Fidei Regula, quam credebant nonnulli traditam fuiſſe à Patribus Concilii Sardicenſis, & quam [a] *Theodoretus* etiam, & [b] *Sozomenus* veram eſſe putarunt; in hac tamen Synodo nullam prorſus editam fuiſſe Fidei profeſſionem, neque de cætero priorem illam, quam Magna Nicæna Synodus firmam, ratamq; eſſe voluit, fuiſſe heic auctam, vel explanatam, teſtis eſt ipſe idem, qui utriq; Synodo interfuerit Divus ATHANASIUS, [c] *Tabellas* (dicens) *nonnulli jactant, quaſi ex Sardicenſi Synodo de fide conſcriptas: ne legi quidem ſemel, aut proferri ſinatis; nihil enim tale Concilium definivit*. At verò id non detrahit Authenticæ fidei illorũ undeviginti Canonum ad diſciplinam

[a] lib. 2. c. 8.

[b] lib. 3. c. 11.

[c] Epiſt. ad Legatos Sedis Apoſt. Euſebium, & Luciferum &c.

nam Ecclesiasticam pertinentium; quos, secundum diversas Episcoporum suggestiones, rogante Osio Synodi Patrono, statutos fuisse legimus in Actis ejusdem Synodi Sardicensis. Nemini quidem ad hanc usque diem fides horum Canonum suspecta fuit: quinimò, præter ea, quæ alibi ex Melanchtone Lutheranismi Primipilo adduximus, ait etiam ipse idem MELANCHTON in vita Theodosii Imperatoris, quòd [a] *Mala* (quæ nempè ex hæresi Ariana proveniebant) *cùm Imperator Constans reprimere conaretur, perfecit, ut Synodus pia conveniret in Urbe Sardica, anno post Nicænam Synodum 20. Etsi autem* SARDICENSIS SYNODUS *pia* DECRETA FECIT; *tamen Constantius favit Arianis*. Quot verò pondo sint tres à nobis citati Canones Sardicenses, non admodum difficile erit ex eorum verbis conjicere. Adeoq; statutum jam, Canonibusq;

[a] ad Chro. Carionis lib. 3. in vita Theod. Senioris.

nibusq; confirmatum fuisse in Ecclesia Christiana, circa tempora duorum primorum Generalium Conciliorũ, esse in Romana Sede Principatum Christianæ Hierarchiæ, supremumq; judicem Controversiarum, non potest non esse compertum illis qui recte perpenderint quanti momenti sint illa verba citati Canonis Quarti: *Si judicaverit (Romanus Pontifex) renovandum esse Judicium, renovetur, & det Judices: Si autem probaverit talem causam, ut non refricentur ea, quæ acta sunt: Quæ ipse decreverit, confirmata erunt.* Sensus ergo horum verborum est, Appellationem, quæ fit ex quacunque Sede Episcopali ad Romanum Pontificem, esse legitimã, atq; in Papæ Romani potestate esse, judicare, revocanda nè sint ad examen aliorum Episcoporum judicia, nec nè, atque ad id, arbitratu suo Ju-

dices

dices destinare, atque firma demum, & rata fore quæcunq; statuta fuerint à Papa Romano, tanquam à supremo Controversiarum Judice, ità quidem (quod habetur Canone Quinto) ut nemo possit conscendere Sedem illius Episcopi, qui videtur esse depositus, nisi causa fuerit in Judicio Pontificis Romani determinata. De cætero verò hi Canones non restringũtur ad has, vel illas nationes, sed sunt omninò Oecumenici, quippè de quibus expressis verbis [a] *Tota Synodus dixit: Universa quæ constituta sunt Catholica Ecclesia in universo Orbe diffusa custodiat.*

[a] In fine Synodi Sardic.

THEO:

THEOREMA VI.

Esse de Jure Divino id, quod Papa Romanus sit Hierarcha totius Ecclesiæ Christianæ patet ex Sacra Scriptura, & ex consensu Sancto-Patrum ejusdem Interpetrum.

I. PAlàm quidem est, Lutherum, Zuinglium, atque Calvinum, eorumq; asseclas, non aliter, quàm technis, & dolo nobiscum agere voluisse; quandoquidem ipsi etiam (qui, ut sunt impudentissimorum hęreticorũ mores, honori sibi ducunt, si quandoque Sanctos Patres despexerint, & pro nihilo putarint) ad consensum antiquiorum Patrum se quidem referre posse jactitant, ubi animus illis est, hodiernam Ecclesiam Romanã,

tanquam ab antiqua illa primorum quinque ſeculorum Orthodoxa Ecclesia maximè degenerem, in omniū odium, invidiamq; trahere, necnon etiam quando experiuntur, non tam citò ſibi quemquam poſſe in animū inducere, ut credat, nihil dum veri, bonique dictum, ſcriptumve fuiſſe in Eccleſia Chriſtiana, antequam *Fidei Catholicæ*, atque *cucullæ* valediceret *Frater Martinus Lutherus*: Nàm quis ſibi ſuaſerit, omnes vnà cæcutiiſſe Græcos, atque Latinos Doctores, atque ſignanter ex Græcis Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, & Cyrillos, & ex Latinis Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, & Leonem, atque deſipuiſſe Concilia omnia, quantumcunque Generalia, Lutherum verò, & Calvinum Sacrarū Literarum ità numeros abſolviſſe, ut nihil ſit præterea requirendū? Itanè ergo, tanquam ſi offuſa toti Orbi

Chri-

Christiano sempiterna nox fuisset; jacuissent omnia in tenebris, nisi Lutherus, Zuinglius, & Calvinus affulxissent? At at, vel ipse idem PHILIPPUS MELANCHTON, Lutheri, Lutheranæque causæ propugnator, probè novit, quod [a] *Quando magnæ sunt tenebræ, vocantur novi Doctores, &* SEMPER ADDUNTUR A DEO MIRACVLA, *ut certò sciamus à Deo esse missos: juxtà illud: Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

[a] Melācht. in cap. 3. Matth.

2. Quotnam autem, & quorum miraculorum opifex extiterit Zuinglius, testem do LUTHERUM ipsum; At [b] *Hæreticos* (ait Lutherus) *seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei Zuinglianos, & Sacramentarios omnes qui negant Christi Corpus, & Sanguinem ore carnali sumi in universa Ecclesia.* Testes do etiam MELANCHTONEM, & BRENTIUM Lu-

[b] lib. cōtra Academ. Lovaniēs. thes. 27.

theri primarios Asseclas, qui quidem in Epistola ad Philippum Hassiæ Landtgravium[a] *Si rationes* (dicunt) *quibus Zuinglius movetur conscientias ità satisfaceret, ut in judicio Dei iis inniti possint, facilè etiam nos allegorias ipsius adprobaremus: Certum autem est, non posse acquiescere conscientias istis argumentis. Deindé manifestum est, horribiliter eos peccare, qui incerta pro certis defendunt, & occasionem præbent non modo schismatis, sed etiam bellis.* Cōtrà verò, quæ nam miracula ediderit Lutherus, edisserent nobis *Tigurini* hæreseos Zuinglianæ Professores; hi enim in sua Confessione Germanica impressa Tiguri anno *1544.* apertè dicunt: [b] LUTHERUS DEI, & DIVINI HONORIS OBLITUS, *nos dānatam sectam vocat, sed videat, nè hujusmodi nefandis, & impiis dicteriis, se ipsum hæresiarcham declaret.* Quinetiam tota Schola Zuing-

glia-

a In Epist. ad Philip. Landtgr. anno 1530

b Confessione Germanica edita Tiguri anno 1544 par. 3. fol. 131.

glianorum, & Calvinianorum *Hedelbergensium*, in sua *Ordinatione Ecclesiastica*, anathema dixit Luthero, & Brentio: quippè dicens: [a] *Lutheri, & Brentii Catechismi extra Ecclesiam ejiciantur, & eorum scripta nullam habeant auctoritatem*. Et quantum ad Calvinum attinet, en testimonium STANKARI Lutherani, plenis quidem faucibus clamitantis, cavendum nobis esse à Calvino: [b] *Cave* (ait) *cave Christiane, & vos Ministri á libris Calvini cavete; continet enim doctrinam impiam, & blasphemias Arianorum*. Demũ ad dignoscendum quanam doctrina, quibusvè miraculis effulxerint Lutherus, Zuinglius, & Calvinus, non parum confert testimonium ipsius ejusdem ERASMI Roterod. utpotè qui Basilææ degens, probè illos, atq; intus, & in cute novit; atqui: [c] *Circumspice* (inquit Erasmus) *populũ istum Evangelicũ, & observa num*

a in Ordinatione Ecclesiastica.

b lib. adversus Bullinger. Petrum Martyrem, & Calvinũ.

c Epist. ad Vulturiũ.

minus indulgeat luxui, libidini, gulæ, quám faciant ii (nempè Catholici) *quos detestamini . Profer mihi, quem istud Evangelium (*nēpè novo modo à Luthero, Zuinglio, & Calvino prædicatum*) ex commessatore sobrium , ex feroci mansuetū , ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendā, qui facti sunt seipsis deteriores .* Hæc sunt miracula novorum istorū Protestantium Apostolorum ; Quî ergo fieri potuisset , ò Melanchton , ut, *quando magnæ sunt tenebræ , & vocari debent novi Doctores , atque superaddi á Deo miracula , ut certò sciamus à Deo esse missos ,* missi fuerint , ut tenebras depellerent istius. modi tenebriones ?

3. Sed mittamus hæc , quando jam nunc temporis pudet ipsos eosdē recentiores Protestantes , se vocari Lutheranos, vel Calvinistas. Quid ?

(ajunt)

(ajunt) Novanè, nudiusque tertius à Luthero, vel Calvino conficta dogmata sequuntur Protestantes, an potiùs Evangelicam, maximèq; orthodoxam doctrinam Sanctorum Patrũ primorum quinque seculorum? Ego quidem novi quanto conatu allaboraverint nuper, ut ad Augustanam Lutheranorum Confessionem cogerent Divum *Augustinum* [a] *Antonius Riserus* Lutheranus, atque Divum *Chrysostomum* [b] *Fridericus Mayerus* itidem Lutheranus, & quod, cũ jam experti sint, neminem solis dictis, factisque Lutheri, vel Calvini se velle confidere, atque se, animumq; suum concredere *fraterculo excucullato*, qui (quod turpiùs est, atque magis horrendum) cucullum exuit, ut Virginem, Deo sacram, in contubernium sibi asciſceret, bellumque indiceret jejuniis, cælibatui, bonis operibus, obedientiæ Ecclesiasticæ, proscinderetque famosis suis libellis

[a] vide Præfat. Franc. Hacki ad Chrysost. vindicatũ.

[b] vide eũd. Hacki, ubi similia sũt de Centuriatoribus Magdeburg, & de Chēnitio.

famam Optimorum Virorum; atque interim de se jactaret a *se nè quidquã curare, si mille Augustini, mille Cypriani, ipsi adversarentur: adeò enim se certum esse, ut nullius quidẽ Angeli judicio eam velit subjicere:* Luthero (inquam) potiùs, quàm Divis illis saltèm antiquioribus, Sanctis Patribus; Conati sint demum ex Calvinistis Spanhemius Leidæ, Heideggerus Tiguri, Zuingerus Basileæ, atque alibi etiam alii tam Calvinistæ, quàm Lutherani, videri Sanctorum illorum Patrum antiquiorum, quin & quatuor primorum Conciliorum Generalium, Propugnatores potius, quàm hostes. Gaudeo ego sanè; multùm enim spei videtur hinc affulgere, quod ubi ostensum fuerit, hodiernam Ecclesiæ Romanæ sententiam de Potestate Summi Pontificis cum illa Sanctorum Patrũ antiquiorum haudquaquam pugnare; ejuraturi ultrò sint Lutherum, Calvinũq; suum

a Luther. in lib. adversus Regem Angliæ.

ſuum Proteſtantes, & sese in ulnas Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ recepturi.

4. Sed jam plerique ex Lutheranis, & Calvinianis futurum fore ſperant, ut, facta authenticorum teſtimoniorum collatione, concludendũ ſit, Sanctis Patribus antiquioribus Principatum Oecumenicum Papæ Romani neutiquam probatum fuiſſe. Contrà verò nonnulli verentur, nè posteaquam ad ejuſmodi collationẽ ventum fuerit, id ſibi non admodũ ex voto ceſſurum ſit. Et revera SCHERZERUS, quamvis tertio quoq; verbo antiquiorum auctoritatem nobis objectet, veretur tamen, nè poſteaquam tam ſedulo allaboravit, ut nos illiceret in fraudes, nimirùm verba Sanctorum Patrum dolo malo mutilando, alterando, & toto ſæpiùs capite obtruncando, non ſecùs, atq; alter Luthérananus, nempè DREJERUS, fecit Regiomonti; nihil tamen

ſibi

ſibi profuturæ ſint suæ technæ, ſi ſemel nos nobis ab illis caveri noverimus: atque ob id, relictis antiquis Patribus, ad sola verba Chriſti se referre ait: quippè nobis objiciendo Divum AUGUSTINUM dicentem [a] *Quæ ipſe* (Chriſtus) *non dixit, temerarium eſt velle præſumere — Quæ ipſe tacuit, quis noſtrum dicat? — Aut ſi dicere audeat, undè probat?* Ità etiam ex quibuſvis Controverſiarum anfractibus sese emoliri credunt nonnulli Zuingliani, & Calviniani: Nam ipſe idem BULLINGERUS, qui [b] *Doctrinam ſynceram, inviolatamque conſenſu vnanimi, & Catholico conſervatam fuiſſe* (ait) *in veteri Eccleſia ab ipſis Apoſtolorum temporibus per integra ſecula ſex, & multo plura*; Cùm deindè viderit, Catholicos, in dirimenda controverſia de Poteſtate Eccleſiæ Romanæ, se retuliſſe ad veteres Eccleſiæ Scriptores, idque illis ſatis ex voto ceſſiſſe; fron-

tem

[a] tract. 96. in Joannē.

[b] adverſus Brentium cap. 7. par. prioris.

tem perfricuit, atque Veteris Ecclesiæ (cujus doctrinam dixerat ſynceram, inviolatamque) teſtimonium, unanimemque, atque Catholicum conſensum ſuſque, deque habens, non erubuit dicere: [a] *Veteres Ecclesiæ Scriptores, quos nobis objiciũt, neſcio quid de Primatu Petri teſtificati ſunt: Sed uno verbo reſpondemus, non perindè nos curare, quid hîc ſenſerint veteres, quam quod instituerit Christus*. Bone Deus! Ecquisnam quæſo diſputandi modus tenendus eſt cum iſtiuſmodi captioſis, doloſiſque hominibus, quos inter nullus omninò eſt conſenſus, & qui à se ipſis quoque alternis verbis diſſentiunt, conſarcinantque, quæ ſibi omnifariam adverſantur, & de quibus appoſitè dixeris, quod olim Divus HILARIUS de Arianis: [b] *Tot exiſtere fides, quot voluntates?* Verùm: *Scriptura* (clamant) *Scriptura* oſtendatur nobis, in qua fundetur

Oecu-

[a] Decad. 5. ſerm. 3. §. ult.

[b] lib. 2. ad Conſtantium pag. m. 83.

Oecumenica Poteſtas Papæ Romani, atque Scripturam volumus non explicatam ab hoc, vel illo maleferiato Scholaſtico, sed à Viris doctis, & probis. Bene eſt; Ita profectò: Scripturas, imò Sacrum ipſum Evãgelium oſtendẽt Catholici, & ſi quid ſit quod de Interpretum, Expoſitorumve fide ſuſpicionem ingerat; detur jam optio noſtris adverſariis: Eligant ipſi ſibi Magiſtros, quos velint ex tot, tantiſque Sacræ Scripturæ Interpretibus. Sed jam dixerat MELANCHTON, quod [a] *Optimi Magiſtri, atque Duces nobis eſſe poſſunt Tertullianus, Irenæus, Auguſtinus &c.* atque etiam alibi [b] NAZIANZENUS *rectè docebat, Baſilius Cæſareæ, propugnator fuit veræ doctrinæ, Ambroſius Mediolani, Hilarius in Gallia, &c.* Hæc Melanchton, qui non minùs atque Pilades Oreſti, adhæſit Luthero. Ità etiam inter Primiores Cinglianiſmi, & Calviniſmi

[a] Epiſt. ad Ioan. Cratonem.

[b] in Chronico Carionis.

vinifmi ftatutum eft BULLINGERO, nimirùm *Tutiùs omninò eſſe veteribus, quā neotericis Scripturæ Expofitoribus credere*. Et rationē addit CALVINUS, dicens [b] *In primorū Ecclefiæ feculorum Patribus floruiſſe Religionem, & fynceriorem doctrinam.* Agite dum ergo: Nonnè demum itur ad Sacram Scripturam, atq; unà pariter ad veteres Sāctos Patres ejufdem interpretes? Rectè quidem; nam ad Scripturam fimul, & Sanctos Patres provocant Catholici; ità enim omnis tergiverfandi occafio præcludetur.

a part. ult. de Decret. Chalced.

b lib. 1. Inftit. cap. 11 fect. 13.

5. Sed eccum pro Papa Romano Divi Petri Apoftoli fucceffore luculentiffimum Sacrofancti Evangelii teftimonium; quippè in quo CHRISTUS ait PETRO [c] *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & fuper hanc Petram ædificabo Ecclefiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverfus eam. Et tibi dabo claves Regni*

c Matth. 16 v. 18.

Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis. Quisnam verò sit sensus horum verborum, Divus AUGUSTINUS edisseret nobis; illum enim præcæteris Catholici consultum eunt. Sed quî potè? (SCHERZERUS ait) Nunquid non multò aliter in hujus loci expositione Augustinus sentit, ac hodierni Pontificii? En AUGUSTINI verba [a] *Petrus in illo loco personam gestat Ecclesiæ, vbi dictum est: tibi dabo &c. Sed nunquid istas Claues Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Joannes, & Jacobus, non accepit, & cæteri Apostoli?* Sensus ergo verborum Evangelii videtur potiùs esse, Petrum non tantùm suo, quàm totius Ecclesiæ nomine Claves accepisse, adeòquidem, ut per Petrum omnes Apostoli & Claves Regni Cœlorum acce-

[a] ap. Scherzerum in Anti-Bellarm.

acceperint, & poteſtate ligandi, atq; ſolvendi participes effecti ſint: Nã & id alibi ipſe idem *Auguſtinus* inculcat, dicens, quod [a] *Omnibus Sanctis ad liganda, & ſolvenda peccata claves Regni Cælorum primus Apoſtolorum Petrus accepit*. Hæc apud Scherzerum, & Drejerum Proteſtantes unà omnes; Verùm non adeo ſtupidi ſumus, ut nos arbitratu ſuo in fraudes quiſque trahat. Quis enim non videt, Divum Auguſtinum hic non loqui de ſuprema Poteſtate Judiciaria, ſed potiùs de Poteſtate (ut vocant) Sacerdotali, atque etiam de Poteſtate Judiciaria non Oecumenica, & Suprema, sed de ea, quam penès ſingularium Eccleſiarum Epiſcopos, ſiuè Inſpectores eſſe, ipſi etiam Catholici concedunt? At nos hìc non controvertimur de Poteſtate Sacerdotii, neque de cætero quicquã particularium Eccleſiarum Epiſcopis de ſua Judiciaria poteſtate detractum

[a] tract. 124 in Ioann.

volumus; Sed de Primatu Petri, ejusque Successorum sermo est. Tantum vero abest, ut non ratum, atque sancitum fuerit Divo Augustino, Petrum Apostolum constitutum fuisse à Christo totius Ecclesiæ Christianæ Caput, & Principem, ut potiùs apertè ipse doceat [a] *In Romana Ecclesia semper viguisse Principatum Apostolicæ Cathedræ*; ob id nempè, quod [b] Episcoporum Romanorum sibi succedentium ordo numeratur à Petro, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus dixit: *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Non diffitetur ergo Augustinus, Petro Apostolo, ejusq; Successoribus concreditum fuisse à Christo regimẽ totius Ecclesiæ Christianæ, adeòquidem ut Petro tanquã Summo Pontifici, sivè tanquam ei, qui totius Ecclesiæ personam gestagestabat (ut loquitur ipse *Augustinus* [c]) Summa, & Oecumenica Potestas

a Epist. 162

b ut colligitur ex c. 4. contra Epist. fud.

3.

testas

teſtas tradita ſit, & per Petrum, deindè cæteris Epiſcopis, ſuo quidem modo, & ordine, quo literis Synodicis, Apoſtoliciſque declaratum eſt. Et revera ipſe idem Divus AUGUSTINUS luculentiùs alibi mentem ſuam aperiens, dicit, quod [a] *Quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter Primatum, quem in Diſcipulis habuit.* Cæterum quidnam indigitetur per id quod Petrus totius Eccleſiæ perſonam geſtaverit, & quod ſuper fidem Petri Eccleſia Christi ædificata ſit, dicam ſtatim ac alterum Sacræ Scripturæ locum perpenderimus.

a Idē ibid.

6. Extat in ipſo etiam Evangeliorum Codice, dixiſſe JESUM Simoni Petro: [b] *Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei, etiam Domine, tu*

b Ioan. 21. 15.

tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Joannis, diligis me? Ait illi, etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei tertio, Simon Joannis, Amas me? contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò amas me? & dixit ei, Domine, tu omnia ſcis: tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, Paſce oves meas. Quò quidem reſpiciens Divus CHRYSOSTOMUS: [a] *Quid tandem,* (ait) *aliis omiſſis, Petrum dumtaxat affatur? Os erat Apoſtolorum, & Princeps, & Vertex ipſius cœtus.* Quanquã autem paucis ab hinc annis *Fridericus Mayerus* conatus ſit ſibi, ſuiſque perſuadere, omnia ferè, & ſingula Divo Chryſoſtomo cum Luthero conſtitiſſe, præſertim quantum attinet ad auctoritatem Papæ, ob id ſignanter, quod ad illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,* hæc alia

[a] Hom. 87. in Io: pag. m. 354. to. 3.

CHRY:

CHRYSOSTOMUS adjecerit de sua theca, nimirum; [a] *Super hanc petram, non dixit super Petrum: non enim super hominem, sed super fidem ædificavit Ecclesiam suam — Quid est super petram? hoc est super Confessionem, super sermones pietatis;*

a Serm. de Pentecost. pag. m. 391 tomi 3.

Mox tamen, atque strenuè, Chrysostomi causæ patrocinatus, FRANCISCUS HACKI Soc. JESU, impudentissimum illum, mendacemque Lutheranum in jus traxit, calumniæq; dolique, atque falsi reum peregit; Nam [b] ,, Quis unquam dubitavit cũ ,, Chrysostomo Catholicorum, Ecclesiam non super Petrum quà hominẽ ,, merè, quaue privatam personam ,, ædificatam? nunquid enim hæc ædi-,, ficatio facta est super corpus Petri, ,, eiusque animam? — Sed potius Ec-,, clesia Catholica docet, Quòd Chri-,, stus Dominus Ecclesiam suam dictis ,, verbis se ædificaturum pollicitus est ,, super Confessionem, & fidem Petri

b in Chrysostomo vindicato, c. [illegible] 13.

„non tantùm ſimpliciter, & abſolutè „ſumptam, ſinè reſpectu, & relatione „ad perſonam Petri — ſed cum rela„tione ad fidem Petri, & quidem Petri „non ut hominis merè privati, & par„ticularis perſonæ, sed ut erat Paſtor, „& Princeps, & Caput Eccleſiæ futu„rus. Hæc HacKi. Et quidem ità; & non aliter intelligenda ſunt verba Divi Chryſoſtomi, quorum ut ſenſum rectè perciperet Mayerus, nonnè fuiſſet operæ pretiũ reliqua Chryſoſtomi loca jviſſe conſultum? Sed & ſexcentis ferè in locis Primatum, Oecumenicumque Principatum Petri inculcat nobis aureus ille Doctor: atq; ut unum, aut alterum adducam ex luculentioribus; Ait certè CHRISOSTOMUS, quod Chriſtus [a] *totius Orbis terrarum Doctorem præfecit Petrum, cui Claves Cœlorum dedit, cujus arbitrio, & poteſtati cuncta permiſit.* Et [b] *cui Eccleſiæ Primatũ, gubernationemque per univerſum mundum*

a Homil. in S. Ignatium

b Homil. 1. de Pœnitēt. pag. 714. to. 5.

mundum tradidit. (Nunquid ergo abstractæ Petri Confessionis arbitrio & potestati, Ecclesiæ Universalis gubernacula committenda erant?) Nihil profectò clariùs, efficaciusque pro Principatu Occumenico Divi Petri, eiusque Successorum dici potuisset. Et signanter *ejusque successorum* dixi: atque id nunc non aliunde, quàm ex eodem Divo CHRISOSTOMO dictum velim, quippè cujus hæc extant verba[a] *Hic enim* (nempè Christus) *cum Apostolorum Principe verba faciens: Petre, amas me? inquit: atquo illo id consitente; adjungit: Si amas me, pasce oves meas. Quanam item de causa ille idem sanguinē effudit suum? certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat.*

[a] lib. 2. de Sacerd. pa. 418. & 419 tomi 5.

7. At verò nec vehementiùs urgere, factumque instare desinunt adversarii, ipsumque demum Chryso-

ſtomum in jus vocant, deferuntque falſi; Nam, ſi tam impenſè in Petri Apoſtoli, ejuſq; Succeſſorum Oecumenicum Principatum indulgens videri voluit, cur nam exponens illud *Actorum Apoſtolicorum* [a] *Exurgens Petrus in medio Fratrum dixit &c.* id nobis ipſe idem Chryſoſtomus [b] *Conſiderandum* propoſuit, *quàm Petrus agit omnia ex communi diſcipulorũ ſententia, nihil auctoritate ſua, nihil cum imperio?* Ajunt ergo adverſarii, perindè ſibi eſſe, utrũ Chryſoſtomus ſibi conſtet, nec nè; diſplicere tamen, ſibi fucum factum fuiſſe ab illo, & se pœnitere, quòd ejus teſtimonio tantopere fiderint; ut data ſit anſa THEODORO BEZæ Calviniano, dicendi, quod [c] *nihil hic privatim à Petro geritur, quaſi excellentiori dignitate prædito, ſed publicè, & totius Collegii ſuffragiis.* Ità de Chryſoſtomo nonnulli hæretici conqueruntur; Quaſi verò non palàm

etiam

a Act. Apoſtol. 1. 15.

b Homil. 3. in Apoſt. pag. 392. 393. & 394 tomi 3.

c apud Thomam Stapletonum in Antid. Apoſtol. pag. m. 2.

etiam hîc esset, ipsos hæreticos nobis proindè sensum longè aliò traducũt, imponere voluisse. Mutilant sanè Sancti Doctoris verba, verborumq; ac auctor destinaverat. Dixerat enim antea Chrysostomus de Petro: *Quàm agnoscit sibi creditum á Christo gregem! Quàm in hoc Apostolorum, & Discipulorum Choro Princeps est, & ubique primus omnium incipit loqui!* Paulò post autem, ut Petri moderationem illam, quam semper in causis gravioribus successores Petri uti solent, indigitaret nobis, subjungit: *Jam & illud considera, quàm Petrus agit omnia ex communi Discip lorum sententia, nihil auctoritate sua, nihil cum imperio.* Deindè verò, nè quod de Petri moderatione dixerat, illius Potestati aliquid detrahere videretur, statim adjecit: *Quid? Annon licebat illi eligere, qui in Judæ locum succederet? licebat, & quidem maximè;*

verùm id non facit, nè cui videretur gratificari.

8. Verùm in Expoſitione trium horum Sacræ Scripturæ locorum ſiſtitur nobis à [a] *Scherzero* controverſum illud teſtimonium Divi HIERONYMI [b] *At dicis: Super Petrum fundatur Eccleſia. licèt id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves Regni Cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur.* Sed enim nihilo mihi eſſe videtur ſecius iſthæc exceptio Scherzeri, quam quod ipſe iterum, iterumq; nobiſcum velit agere dolo, atque technis: quippè iterum verba Sanctorum Patrũ obtruncantur non modo capite, sed & artubus. Fateor quidem dixiſſe Hieronymum: *licèt id ipſum ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni Cœlorum accipiant, & ex æquò ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur;* Sed cur verborum ſenſum ità imperfectum, dimi-

[a] Anti-Bellarm. lib. 4.

[b] lib. 1. adverſus Iovinianum. pag. m. 513 edit. Rom. apud Paulũ Manut.

dimidioque mutilum relinquit Lutheranus impoſtor, & non pergit ulterius? Pergat, pergat, nam mox ſubjungit Hieronymus: *Tamen propterea inter duodecim unus eligitur; ut capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio.* Nũquid autem hîc aliud enunciatur à Hieronymo, quã quod docet hodierna Eccleſia Romana, nimirum, Petrum non modo ſibi, ſed & cunctis omninò Sacerdotibus accepiſſe unà cum clavibus Regni Cœlorum poteſtatem ligandi, & ſolvendi, ipſi tamen uni, ejuſq; ſucceſſoribus tradita fuiſſe totius Hierarchiæ Chriſtianæ gubernacula, nempè, *ut capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio?* Sed quî quæſo diffitebimur, Oecumenicum Eccleſiæ Principatũ aſſertum fuiſſe Petro à Hieronymo, qui ſcribens ad Sanctum Damaſum Papam, [a] *Cum Piſcatoris* (inquit) *ſucceſſore, & diſcipulo Crucis loquor — Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ*

[a] Epiſt. 57. ad Damaſum Papã.

dræ Petri communioni consocior: super illam Petram Ecclesiam ædificatam scio — Quicunq; extra hanc domum agnum comedit, prophanus est. Ità ergo, Ecclesiam super Petrũ ædificatam fuisse docet Hieronymus, ut id sibi sit potissima causa, sese cõmunioni Cathedræ Petri, cujus Papa Damasus successor erat, consociandi. Jam benè, sed cur subjungit, quod *qui extra hanc Domum agnum comedit, prophanus est?* Credit nè ergo Hieronymus, prophanos esse qui consociantur communioni Ecclesiæ Alexandrinæ, vel Constantinopolitanæ, vel Antiochenæ? Non sanè; Neque aliàs verba Hieronymi alium sensum habere possunt, quàm per Cathedram Petri sumi debere Principatum totius Ecclesiæ Catholicæ, Damasum autem, utpotè qui Petri Successor est, totius Ecclesiæ Catholicæ, Pontificem esse, atque Caput, atque proindè, prophanos esse quotquot

agnum

agnum comederint extra hanc domum. Statutum ergo erat Hieronymo, Ecclesiam fundatam esse, non supra nudam, præcisamq; Petri confessionem, neq; aliàs supra Petrum, quatenus simplex Christi Apostolus erat, & alicujus particularis Ecclesiæ futurus Episcopus, sed supra Petrum, quatenus ei totius Hierarchiæ Suprema Potestas tradenda erat, quæ, ordine deindè Summorum Pontificum sibi succedentium neutiquam interrupto, committenda etiam erat Petri successoribus, quorũ Catalogo ascribitur Papa Damasus.

9. Neq; porrò aliter hac de re visum est DIVO AMBROSIO, & DIVO CYRILLO Alexandr.: Quamvis enim in illius commentariis, ubi de sola Sacerdotii dignitate sermo est, leguntur hæc verba [a] *Quod Petro dicitur, cæteris Apostolis dicitur, Tibi dabo Claues.* Id tamen, nè vel in minimo Principatui Paparum Romanorum

[a] in Psalm. 38. pag. 531

Oecu-

Oecumenico obesse poterit, neq; de cætero à sententia recentiorum Catholicorum abludit; Quippè fatemur omnes, (quod & nuper monuimus) Sacerdotibus planè omnibus à Christo per Petrum, ejusque Successores, datam fuisse potestatem ligandi, & solvendi, supremum tamen jus Episcopos instituendi, confirmandi, deponendi, & vel per se, vel per Episcopos promouendi alios, atque alios ad Sacerdotium, ei tantùm traditum fuisse, super quem Ecclesia Christi ædificata est, nimirùm soli Petro, atq; tum ejus successoribus. Atq; ut luculentiùs pateat, Divum Ambrosiũ huic sententiæ suffragatum fuisse, satis quidem est, eum dixisse, quod Christus [a] *Petrum solum nominat, & sibi comparat, quia Primatum ipse acceperat adfundandam Ecclesiam — soli Petro gratia Primatus inter Apostolos est commissa.* Cyrillus verò apertè ait [b] quod Christus de

[a] ad cap. 2. ad Galatas

[b] Lib. 2. in Io: c. 12. pag. m. 651.

Petro

Petro loquutus, *Nec Simon fore jam nomen illi, sed PETRUS, prædixerit: vocabulo ipso commodé significans, quod in eo, tanquā in PETRA, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.*

10. Sed ea demum est Scherzeri impudentia, ut ad suas partes trahere, nobisq; objectare audeat testimoniū Divi LEONIS Magni, quasi Divus Leo non obiisset munus Supremi Hierarchæ in Concilio Chalcedonēsi, Apostolico propriæ Sedis Jure, Patriarcham Alexandrinum deponēdo, Constantinopolitanum verò, & Antiochenum instituendo, & confirmādo, Eutycheten Hæresiarcham damnando. Quòd si qui sint, quibus hac de re dubia, vel anceps videatur mens Divi *Leonis*, ob id quod ipse dixerit [a] *Transivisse in alios Apostolos vim Potestatis illius* (traditæ nempè Petro) *& ad omnes Ecclesiæ Principes decreti constitutionem manasse*; Di-

[a] Serm. 3. de assump. sua.

vum

vum Leonem tamen hîc non loqutũ fuiſſe, quàm de Sacerdotii Poteſtate, atque de Poteſtate Epiſcoporum Ordinaria, vel exindè poterit apodicticè demonſtrari, quia nempè conferens ille Poteſtatem Divi Petri cum cæterorum Sacerdotum, Paſtorumq; Poteſtate, apertè docet, quòd [a] *Quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regit Petrus.*

[a] Idẽ ibid.

11. En ergo, quàm rectè ac firmiter ipſi Sacræ Scripturæ innititur Poteſtas Oecumenica Eccleſiæ Romanæ, & quàm benè nobis cum Sanctis Patribus antiquioribus hac de rè convenit! Et nè teſtimonia Sanctorum Patrum Baſilii, & Nazianzeni ſilentio percurrantur; [b] *Ille, inquàm, Beatus* (ait de Petro BASILIUS) *qui & cæteris antelatus diſcipulis fuit, & cui magnificentiùs, quàm reliqui omnes Beatus appellatus, cui Claves Regni Cœleſtis commiſſæ.*

[b] In Proœ. Ethic. ubi de judicio Dei pagin. 344. edit. Pariſ.

missæ. Basilii verò sententiæ suum etiam addidit calculum NAZIANZENUS; Nam [a] *Vides (inquit) quemadmodum ex discipulis Christi magnis ubique & excelsis, atq; electione dignis, hic Petrus scilicet Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat, ac reliqui discipuli posthaberi se æquo animo ferunt*.

[a] Art. 26. de moderat. in Oration. habēda pag. m. 229.

12. Quàm ergo iniquè, quàm falsò, quàm subdolè dictum est à Lutheri, & Calvini asseclis, *á Phoca demum ipsi Papæ Romano Primatum concessum fuisse*. Sed quomodo demum à Phoca, qui octo circiter annos reru̅ potitus, decessit anno Christi 610, si omnes, quotquot huc adduximus pro Primatu Oecumenico Divi Petri floruerunt inter primum, & quartum Concilium Generale? Athanasius quidem, qui anno 325 in Nicæno Cōcilio se opposuerat Arianorum conatui, annorū plenus Cœlum

lum conſcendit anno 372; adeoque habuit ſibi contemporaneos ex Græcis Baſilium, Nazianzenum, & Cyrillum Hieroſolymitanum, ex latinis verò Hilarium Pictavienſem; nam Baſilius circa annum 362 Athenis commorabatur unà cum Athanaſio; deindè factus eſt Epiſcopus Cæſareæ anno 369: atque obiit anno 378. Cyrillus verò Hieroſolymitanus, qui unà cum Nazianzeno interfuerat anno 381 Oecumenicæ Synodo Conſtantinopolitanæ Primæ, diem ſuum obiit anno 386: ſed Nazianzenus ex hac luce migravit non antea quàm anno 398. Eodem porrò anno, quo in Oriente occidit magnum Eccleſiæ Catholicæ lumen Athanaſius, effulgere cæpit in Occidēte Hieronymus: habuit hic ſibi contemporaneos ex Latinis Ambroſium, & Auguſtinū, necnon ex Græcis Chryſoſtomum, Cyrillum Hieroſolymitanum, & ipſum etiā Nazianzenum, quippè cujus

jus invisendi gratia è Syria Constantinopolim sę contulit, atque tum, ut ipsemęt in libris contra Ruffinum testatur, magno semper honori sibi duxit, se Gregorii Nazianzeni fuisse discipulum, atq; alumnum: Mortuus est autem Hieronymus anno 420. sed jam antea decesserat Ambrosius, & longè antęa Nazianzenus: contigit verò mors Chrysostomi circa annum 407. necnon Magni Augustini anno 430. ità quidem, ut Ephesino Concilio, quod subsequente anno celebratum est, interesse non potuerit: Præsidem ergo, vicesq; Cœlestini Papæ illic egit Cyrillus Alexandrinus, qui fuit etiam contemporaneus Leonis Magni, utpotè sub cujus Papatu decessit, quin etiam Petri Chrysologi, qui jam fuerat promotus ad Episcopatū Ravennæ anno 432. Tempore demum Concilii Chalcedonensis florebat tantùm Leo Papa, qui deindè ad annum usque 461. vi-

tam produxit.

13. Quid quod longè ante quatuor prima Generalia Concilia, nimirum mille quadringentis supra triginta fermè ab hinc annis, ut Divi Petri Apostoli Oecumenicum Principatum sibi ratum fuisse testaretur, Ecclesiæq; Christianæ Unitatẽ exindè confirmaret, scriptis jam tradiderat Divus CYPRIANUS, quòd [a] *Petro* (Christus) *post resurrectionem suam dicit, pasce oves meas, super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas: & quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat* (intelligit hic de Potestate Sacerdotali, & Episcopali ordinaria) *tamen, ut unitatem manifestaret, & unam Cathedram constitueret* (hîc intelligit de Cathedra Supremi, & Oecumenici Hierarchæ, nam aliàs, quantum ad Cathedras particularium Episcopatuum attinet, Jacobus etiam Hierosolymis,

[a] de simplicitate Prælator. [adversus Novatianum] pag. m. 72. editionis Paris. apud Foucheriũ

atque

atque Joannes Ephesi Cathedrā Episcopalem habuerunt); *Unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate constituit.* Sequitur mox: *Hoc erant utiq; cæteri Apostoli, quod fuit Petrus*; (loquitur iterum de Sacerdotio, & Episcoporum Ordinaria Potestate judiciaria) *Sed exordium ab Unitate proficiscitur: Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & una Cathedra monstretur.* Ubi autem constituenda fuerit ejusmodi Cathedra Pontificatus Oecumenici, ipse idem Cyprianus indicabit [a] *Romæ* (dicens) *esse Cathedram Petri, & Principalem Ecclesiam, undé unitas Sacerdotalis exorta est.* Quinimò, Primatum Petri esse potissimam rationem, ut Christiani planè omnes se Papis Romanis, utporè Divi Petri successoribus ultrò submittant, ostenderat longè ante Cyprianum Divus Irenaeus, qui martyrium subiit nonnisi duobus seculis post Christū:

[a] lib. 1. Epistol. 3. pag. m. 6. edit. cit.

 Nam

Nam [a] *Obſequentes*(ait S.IRENAEUS Epiſcopus Lugdunenſis)*nos eſſe oportet iis, qui in locum Apoſtolorũ ſubindè ſuffecti, ſinè dubio cum Epiſcopatus ipſa Sede poſſident, ex beneplacito Patris, quoddam, ut ità dicam, æternum, atque certiſſimum patrimonium, theſaurumque veritatis. Reliquos autem, qui abalienantur á* PRINCIPALI SUCCESSIONE, *quocunque tandem loco conſiſtant, ut heterodoxos, ſchiſmaticos, ac ſuperbos ſuæ ſententiæ defenſores habere ſuſpectos*. Sic ille: ſic planè omnes Sancti Patres antiquiores, quorum doctrinam eſſe inviolatam, & incorruptam dixerunt ipſimet Lutherani, & Calviniani, teſtibus Breitingero, & Bullingero. Sic etiam quatuor prima Generalia Concilia, quæ quidem ut pia, & legitima amplexi sunt ipſi iidem Proteſtantes, ut ex Lutheranis non modò Melanchton olim, ſed & nuper Drejerus confeſſus eſt. Quo

sanè

[a] lib.4.cap. 43.

sanè fit, ut Divo PETRO nos Catholici jure meritò gratulemur, utamurq; proindè verbis Divi HILARII Pictaviensis, nempè dicentes: [a] *In nuncupatione novi nominis FOELIX ECCLESIAE FUNDAMENTUM, dignaque ædificatione illius* PETRA, *quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret!*

[a] Can. 16. Pag. 616.

THEOREMA VII.

Potestas Sanctæ Sedis Apostolicæ à Protestantium calumniis vindicatur; Exceptione Præscriptionis.

1. QUanquam Romano Pontifici Oecumenicũ Hierarchiæ Christianæ Principatum Jure omninò Divino, legibus nempè ab ipso Christo constitutis, asseri posse ostenderimus; non abre tamen fore arbitrati sumus, si nonnullis etiam ex ipso Jure Civili depromptis rationibus id ipsum confirmaretur. Et quidem si Exceptioni Præscriptionis, temporis quidem, cujus initii memoria non extat, inniti vellemus; norunt certè omnes, usucapionem esse [a] *Adjectionem dominii per cõtinuationem possessionis, temporis lege definiti:* Et quamvis ab

[a] Modestinus l.3. ff. de usurp., & usucap.

ab usucapione Præscriptionem vulgò differre credant per id potissimùm, quod usucapio sit rerum mobilium, Præscriptio verò immobilium; discrimen tamen hujusmodi definitione usucapionis tradita ab ULPIANO planè subvertitur; ait enim JCtus in fragmentis [a] *Usucapionem esse adeptionem dominii per continuationem possessionis anni, vel biennii: rerum mobilium, anni: immobilium, biennii:* Quinimò eodem pariter modo, à *Modestino* usucapionem descriptã fuisse retur [b] JO: BORCHOLTEN, verùm à *Triboniano* definitionem usucapionis à Modestino traditam, fuisse immutatam, *& ubi Modestinus scripserat per continuationem anni, vel biennii, scripsisse Tribonianum, per continuationem possessionis temporis lege definiti.* Rectiùs ergo solertissimus ALCIATUS (*in l. quinque pedum, C. finium regund*) *Præscriptio* (ait) *est veluti quidam fru-*

[a] tit. 19

[b] Inst. lib. 2. tit. 6. pa. 136.

ctus, & effectus usucapionis, nempè peremptoria illa exceptio, quæ ex jure efficaci, translato á priori domino in usucapientem, ipsi domino reliquias superioris auctoritatis intendenti, ejus depellendi gratia proponitur. Ità ergo Præscriptio pertinet præcipuè ad Ius excipiendi, adeò quidem, ut antiquiores Iurisconsulti præscriptionis voce ut plurimum pro exceptione perpetua usi fuerint, ut *ex d. l. quinque pedum*, atque etiam aliundè deducit[a] MYNSINGERIUS.

[a] Inst. lib. 2. tit. 6. pa. m. 127.

2. Cæterum nonnisi publico bono introducta est usucapio: Nempè (teste CAJO, *l. bono publico, ff. de usurp. & usucap*) nè quarundam rerum diù, & ferè semper incerta dominia essent. Tum etiam (ut visum est NERATIO, *l. 5 ff. pro suo*) usucapio constituta est, ut aliquis litium finis esset: Quò etiam collineant verba *Tullii pro Cecinna*, usucapionem scilicèt esse *finem sollicitudinis á periculo*

culo litium. Sic legit[a] FRANC. BALDUINUS, qui etiam apud PLATONĒ, *12. de legibus*, extare observat ejusmodi legem Præscriptionis, quamvis nonnisi rerum mobilium. Quoniam ergo bono publico usucapio introducta est, hinc ipsa, *non solùm non iniqua, sed & juri naturali non adversa* esse videtur [b] IOH. STRAUCHIO: Et quidem rectè; Neque enim Novellam IX. ubi usucapio dicitur *impium præsidium*, authenticam esse censent doctiores; Quî enim Jura impium præsidium suggessissent, si jampridem de se, deque cæteris Jurium Civilium conditoribus cautionem dederat Magnus PAPINIANUS, quippè dicens, (*l. filius, ff. de condit. Instit.*) *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, &, ut generaliter dixerim, contra bonos mores sunt; nec facere nos posse credendum est*. Rectè ergo in *Communium Opinionū*

Album

a Institut. lib. 2. tit. 6. pag. 207.

b ad Ius Iustin. Dissert. 8. §. 3.

Album retulit oculatissimus BAPT. à VILLALOBOS, [a] *Præscriptionem esse Jus quoddam, ex tempore congruens, legum auctoritate vim capiens, negligentibus pœnam inferens, & finem litibus imponens.*

a Cõmun. Opin. lit. P §. 197.

3. Usucapione igitur, atque tum Præscriptionis exceptione dominiũ nobis acquiritur, non directum tantùm, nec tantùm utile, sed omninò plenum. Præterquamquod enim istiusmodi divisio dominii in directum, atque utile magno interpretum errore introducta est, siquidem, ut rectè docet CUJACIUS, [b] *Dominium propriè nihil aliud est, quàm proprietas:* ad quod etiam respexisse videtur NERATIUS (*l. si Procurator, ff. de acqu. dom.*); ratum etiam, firmumq; est in jure, teste DUARENO, [c] *Verum, justum, rectumque dominium acquiri Usucapione, sine ulla rerum distinctione, sivè res sint mobiles, sivè immobiles.*

b Observ. lib. 10. ca. 16.

c in ff. de usurp. & usucap. c. 5

4. Ve-

4. Verùm possessio, quam quidem formam esse dicunt usucapionis, & per cujus continuationem plenum dominium nobis acquiritur, esse debet justa: Sed, ut justa sit, duo spectanda sunt, quorum unum est, ut possessio acquiratur justo titulo, alterum verò, ut acquiratur bona fide; siquidem, *Nullo justo titulo præcedente, possidentes ratio juris quærere dominium prohibet* (*l. nullo justo. C. de rei vindic.*) Duplex autem est hujusmodi titulus, nempè vel generalis, vel specialis: Generalis vocatur *Pro suo*, qui quidem titulus ad omnes omninò species possessionis acquirendæ aptari potest, qui propterea solus ad usucapionem non sufficit, nisi adsit al quis ex specialibus titulis, ut puta ex illis, quos proximè post generalem titulum *De Usucapionibus* collocarunt Digestorum Compilatores, nempè titulus, vel pro emptore, vel pro hærede, vel pro dona-

to, vel pro derelicto, vel pro legato; vel pro dote; Titulo enim deficiente, deficit justa possessio, deficiente justa possessione, deficit usucapio; nã, ut inquit HERMANUS Vultejus, [a] *Etsi possessio sit facti, non tamen propterea debet esse à jure remota, quod fieret, si sinè titulo poneretur.* Hactenus de titulo, nunc de bona fide dicendum est, nempè, eum bona fide possidere, qui rem sibi justo titulo acquisitam fuisse, credit firmiter, & sinè ulla animi hæsitatione, nam bona fides debet esse conscientia omninò syncera. Ubi quidem notandum est, quod veteri jure in præscriptione *10.* vel *20.* annorum specialis titulus non requirebatur, sed sufficiebat longi temporis exceptio, neq; enim ex illa præscriptione acquirebatur dominium. (*l. si quis diuturno, ff si servitus vindicetur*) Multoque minus in præscriptione *30.* vel *40.* annorum opus erat titulo; Nam, ut refert

[a] Inst. lib. 2. cap. 6. pag. m. 208.

fert [a] Dynus, *etiam fures tanto tempore præscribebant*. At verò Jure novo, nisi possessio sit temporis, cujus initia memoriam hominum antecedant, ad præscriptionis exceptionem specialis titulus est ferè semper necessarius. Atque Iure Canonico, cui quidem hodie hac in re Ius Civile fasces ultrò submittit, non modò ad temporis longissimi, verùm etiam ad temporis, supra hominum memoriam decursi, præscriptionem, bona fides, ex justo titulo progenita, necessaria est: atque ità, teste [b] Mynsingerio, statutum est in Camera Imperiali: Adeò quidem, ut ad Præscriptionem, cujuscunque demum temporis, atque generis illa sit, tria semper requirantur (ut post Bapt. à Villalobos monet Fichardus) nimirum [c] *Titulus, bona fides, & possessio*: idque (ut ipse idem refert ex Vasquez) *omnes veluti notissimũ Juris Elementum tradere solent*.

[a] in cap. 2. num. 6. de reg. Iur. in 6.

[b] Cent. 4. observ. 6.

[c] Comm. Opin. lit. P §. 203.

5. Jam verò tibi, Lector mi candide, non admodum difficile erit conjectare, quorſum nam tendat hæc ſemita de Præſcriptionibus, quam ingreſſus sum. Quidni enim adverſarii noſtri, vel ſola Præſcriptionis exceptione repelli poterunt? Dicerent sanè Pontificiæ Poteſtatis Propugnatores, quòd JESUS Chriſtus totius Eccleſiæ Caput, & Summus Hierarcha, cùm pro redemptione generis humani mortem obiturus eſſet, atque tum rediturus ad Patrem, inſtituerit Petrum Apoſtolũ ſummi, generaliſq; Dominii Eccleſiaſtici hæredem, ipſi quidem tradens Claves Regni Cœlorum, Poteſtatemque ligandi, & ſolvendi; atque ità deindè Papas Romanos, tanquã Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſores, ejuſmodi hæreditatem adiviſſe, nonniſi *bona fide*, atque ſuffultos ſpeciali titulo *Pro hærede*: Ipſos verò per tempus ſuper hominum memoriam decurſum,

curſum, & quidem ſinè ulla poſſeſſionis interruptione, Poteſtate hujuſmodi Oecumenica potitos fuiſſe; atq; proindè, ſi opus eſſet, eos peremptoria Præſcriptionis exceptione uti poſſe. Sed dices: Nunquid revera Chriſtus teſtamentum condidit? Ità ſanè videtur; quandoquidem (*l. 1. ff qui teſtam. fac. poſſ.*) Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit: atqui IESUS Chriſtus plura quidem conſtituit nonniſi poſt mortem suam exequenda: Quanquam enim, ut teſtatur Divus HIERONYMUS, [a] *Septuaginta Interpretes ſemper, & in plerisque Scripturarum locis* TESTAMENTUM *non voluntatem defunctorum ſonare dixerunt, sed pactum viventium*; certum tamen eſt, Hierarchiæ Chriſtianæ gubernacula ab ipſo Chriſto fuiſſe alicui relinquenda, & quidem titulo quodam ſpeciali, nempè

[a] in cap. 2. Malach.

pè Donationis, vel Hæreditatis? Sed quidni hæreditatis? Equidem, si in testamento sinè scriptis, Primùm exigitur, ut testator palàm sua voce hæredem instituat; (*l. palám ff. qui testam. fac. poss*) Nonnè ipse Christus (*nuncupatorio testamento*) coram toto cœtu Apostolico instituit Petrum Summæ Pontificiæ Potestatis hæredem, illi dicens, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claues Regni Cælorum?*

6. De cætero autem nihil officit huic institutioni testamentariæ id quod non ad præsens, sed ad futurum tempus referri videantur illa verba, *ædificabo*, & *dabo*: Quamvis enim in testamentis ordinandis nos homines in nostrorum hæredum institutione uti debeamus verbis præsens tempus indicantibus; aliter tamen sese res habet in Christo, siquidem nemini dubium est, voluntatem

Christi

Christi, quatenus Christi, fuisse omninò immutabilem; adeòque non propterea verba illa *ædificabo*, & *dabo*, non fuerunt satis ad hæredem rectè instituendum, quia non indicant tempus præsens; Nunquid enim nō ædificaturus, atque daturus erat ipse Christus, quod à se ædificatum, datumque iri, voluntate non conditionata (ut in Scholis loquũtur) sed omninò absoluta, decrevit, atq; ipsi Petro pollicitus est? Vel ergo Christus, antequam rediret ad Patrem, dixit iterum Petro verbis præsens tempus indicantibus, super hanc petram ædifico Ecclesiam meam, & tibi do Claves Regni Cœlorum: Vel, si jam non legitur, Christum id iterum dixisse; apertè constat, verba illa *ædificabo*, & *dabo* ad hæredis institutionem omninò suffecisse, atque referri ad tempus futurum, quō hæreditas adeunda erat.

7. Romani ergo Pontifices, sta-

pè Donationis, vel Hæreditatis ; Sed quidni hæreditatis ? Equidem, si in testamento sinè scriptis, Primùm exigitur, ut testator palàm sua voce hæredem instituat; (*l. palám ff. qui testam. fac. poß*) Nonnè ipse Christus (*nuncupatorio testamento*) coram toto cœtu Apostolico instituit Petrum Summæ Pontificiæ Potestatis hæredem, illi dicens, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum* ?

6. De cætero autem nihil officit huic institutioni testamentariæ id quod non ad præsens, sed ad futurum tempus referri videantur illa verba, *ædificabo*, & *dabo* : Quamvis enim in testamentis ordinandis nos homines in nostrorum hæredum institutione uti debeamus verbis præsens tempus indicantibus ; aliter tamen sese res habet in Christo, siquidem nemini dubium est, voluntatem

Christi

Christi, quatenus Christi, fuisse omninò immutabilem; adeòque non propterea verba illa *ædificabo*, & *dabo*, non fuerunt satis ad hæredem rectè instituendum, quia non indicant tempus præsens: Nunquid enim nõ ædificaturus, atque daturus erat ipse Christus, quod à se ædificatum, datumque iri, voluntate non conditionata (ut in Scholis loquũtur) sed omninò absoluta, decrevit, atq; ipsi Petro pollicitus est? Vel ergo Christus, antequam rediret ad Patrem, dixit iterum Petro verbis præsens tempus indicantibus, super hanc petram ædifico Ecclesiam meam, & tibi do Claves Regni Cœlorum: Vel, si jam non legitur, Christum id iterum dixisse; apertè constat, verba illa *ædificabo*, & *dabo* ad hæredis institutionem omninò sufficisse, atque referri ad tempus futurum, quo hæreditas adeunda erat.

7. Romani ergo Pontifices, sta-

tim ac eorum unuſquiſq; electus eſt, Oecumenicam totius Eccleſiæ Chriſtianæ Poteſtatem, tanquam ad ſe hæreditaria ſucceſſione devolutam, optima quidem fide adiverunt. Et revera (ut verbis utar Ulpiani, *l. 11. ff. de hæredit. petit.*) *Pro hærede poſſidet, qui putat ſe hæredem eſſe*: Nimirùm (*l. 33. § quod vulgo, ff de uſur. pat. & uſucap.*) *Si juſtam cauſam habuerit exiſtimandi ſe hæredem eße*; ait enim DUARENUS, quod[a] *Poſſidere pro hærede in petitione hæreditatis accipimus, eum, qui contendit ſe hæredem eße, quamvis forté hæres non ſit: atque, ſi juſta erroris cauſa interveniat, uſucapit is, qui putat, ſe hæredem eſſe, & ſi hæres non ſit.* Ità etiam [b] CUJACIUS: *Pro hærede* (inquit) *uſucapit, qui juſtam cauſam habuerit exiſtimandi, ſe hæredem eſſe.* Quò quidẽ vellem reſpexiſſet DUARENUS, & non tam miſerè in Calvinianorum hæreſim arripi paſſus fuiſ-

ſet,

[a] in tit. 5. lib. 41. Pãdect.

[b] ad l. 3. ff. pro hærede.

ſet, dicens, quod [a] *Bonifacius Tertius magna contentione á Phoca Imperatore obtinuit, ut Epiſcopus Oecumenicus, & Univerſalis fieret:* Quaſi verò non hoc eodem tituló inſignitus fuiſſet *Divus Leo Papa* (ut oſtenſum eſt theoremate tertio) in medio Concilii Chalcedonenſis, quin & in ipſis ejuſdem Concilii Decretis, & quaſi Papam Romanum Divi Petri ſucceſſorem, ipſum autem Petrũ totius Eccleſiæ Chriſtianæ Principẽ, atque Paſtorem Oecumenicum non dixiſſent unà omnes *Sancti Patres* (quod etiam oſtenſum eſt) *Latini*, & *Græci*, antequam *Phoca* naſceretur. Sed ecquis erit tam impudens, qui auſerit inficiari, ipſos ſaltêm de ſe Papas credere, ad ſe, tanquam ad Divi Petri ſucceſſores, hæreditario jure devolvi Oecumenicã Hierarchiæ Chriſtianæ Poteſtatem, atque ipſos hanc nonniſi bona fide adiviſſe? Nonnè igitur jamdiù eſt, quod Papæ uſucaperunt?

[a] de Eccl. Miniſter. ac Benef. lib. 1. cap. 10.

perunt? Et nonnè peremptoria Præscriptionis exceptio ex hinc emanavit, quantùm nempè satis est ad adversarios repellendos, & retellendos?

8. Verùm præsumptâ hanc Præscriptionis exceptionem exceptionibus illi oppositis conantur infirmare Protestantes. Et quidem, Primò nobis objiciunt, (*ex l. 4 ff. pro hærede*) *eum, qui testamenti factionem non habet, pro hærede usucapere non posse*: Quod quidem, ut Glossa notat, *in passiva significatione intelligendum est, ac si nempè diceret, Qui non potest institui hæres, non potest usucapere pro hærede*; atqui nemo potest hæres institui, si est omninò incapax: [a] *Nunquam verò suffecturas* (ait CALVINUS) *totius Ecclesiæ Christianæ regimini vires unius Papæ*. Verùm enimverò, Ecquid in nobis non operatur gratia DEI? Nunquid enim non solus Moyses sufficiebat in Veteri Testamento?

[a] lib. 4. Instit. cap. 6.

Tum

Tum nonnè dixit Petro Christus: *Pasce oves meas?* Sed undè, undè quæso habuisset, ut tot ovium myriades pasceret Petrus, homo piscator, nisi præstò illi adfuisset Divina Gratia? Calvinus ergo non rectè imbecillitatis insimulat hominem, cui patrocinari se velle pollicitus est ipse Christus. Et sanè ipse Christus, dum dixit, Ecclesiam suam super Petrum ædificandam fore, atque Petro tradendas Regni Cœlorum Claves, statim addidit, quòd *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Atqui hanc inconcussam Ecclesiæ Catholicæ firmitudinem considerans deindè Magnus AUGUSTINUS: [a] *Ipsa est* (inquit) *Petra, quam non vincunt superbæ Inferorum portæ*. Quid, quod ego Calvino Calvinum opponam ultrò confitentem, quod [b] *Debuit unus populus Judæorum, obsessus circumcirca ab Idolatris, habere unum Summum Pontificem, qui*

[a] in Ps. cōtra partem Donati.

[b] Instit. lib. 4. cap. 6.

omnes in unitate contineret, nè variis religionibus distraheretur? An non ergo Populus etiam Christianus fuit semper obsessus circumcircà ab Idolatris non modò, sed & à perfidis Judeis, & ab hæreticis? Quarè igitur *unum Summum Pontificem, qui omnes in unitate contineret*, habere non debuit? Imò debuit, atque habuit, & propterea (teste Divo HIERONYMO [a] *Unus eligitur, ut Capite constituto, Schismatis tollatur occasio.* [b] *Neque enim* (ut jamdudum exploratum habuit Divus CYPRIANUS) *aliundè hæreses obortæ sunt, aut natæ schismata, quam indè quod Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur: cui, si secundum Magisteria Divina obtẽperaret fraternitas universa, nemo adversus Sacerdotum Collegium quicquam moveret.*

[a] lib.1. cõtra Iovin.

[b] lib.1. Ep. 3.

9 Deindè, quantum ad *bonam*

fidem

fidem attinet, excipiunt communiter Protestantes, non modò non omnibus omninò Papis probatum fuisse titulum Pastoris Oecumenici, verùm etiam ejusmodi tam elatum titulum Divo Gregorio Magno summoperè olim displicuisse: Non igitur is bona fide possedit, si tamen se illum possidere credidit, Oecumenicũ Papatum. Verùm, quanquam summo nisu Divum GREGORIUM in suam sententiam conantur trahere Protestantes, scilicèt ob illa ejus verba scripta ad Mauritium Augustum[a] *Ego fidenter dico, quia quisquis se Universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristũ præcurrit, quia superbiendo, se cæteris præponit*, Certum tamen est, Gregorium Papam non aliò his verbis respexisse, quàm ad fastum, impudentiamque *Joannis* Patriarchæ Constantinopolitani, qui Pastoris Oecumenici titulum temerè affectitabat.

[a] lib. 6. Indiction. 15 Epist. 30.

tabat. Nunquam verò diffisus est Divus Gregorius, Pontificem Romanum esse Caput totius Ecclesiæ Christianæ; tametsi scribens etiam ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, & ad Anastasium Patriarcham Antiochenum, dixerit: *Sicut veneranda vestra Sanctitas novit; mihi uni per Sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ, cui, Deo disponente, deservio, hoc universalitatis nomen oblatum est: Sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti consentit: quia videlicet, si unus Patriarcha Universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur*. Ait enim potiùs Sanctus ille Pontifex, Romanos Episcopos in Decretis suis enunciandis neutiquam uti voluisse (sicuti nec jam nunc temporis utuntur) titulo Pastoris Oecumeni; Nam, ut omnes norunt, se vocant Servos Servorum Dei: Quid

a lib.4.Indict.13.Ep.36.

tamen

tamen hoc detrahere unquam potuit *bonæ fidei*, qua Divus Gregorius Magnus Oecumenicum Christianæ Hierarchiæ Principatum possidebat, atq; se possidere dixit? Et profectò dixit: Nam hujusmodi juramenti formulã tradidit iis, qui ejurato schismate, cupiebant iterum restitui Sanctæ Matri Ecclesiæ Catholicæ, nimirùm: [a] *Ego — spondeo, atque promitto tibi, & per te Sancto Petro Apostolorum Principi, atque ejus Vicario Beatissimo Gregorio, & Successoribus &c.* Petrũ ergo esse dixit Principem Apostolorum, & se quidem esse Petri Vicarium: Quin & ad hæc adde, quod, tanquam de se, deque sui successione in Cathedram Principis Apostolorũ rectè sibi conscius, [b] *Nos* (ait) *qui, licèt immeriti Sedem Apostolicam, vice Petri Apostolorum Principis, suscepimus gubernandam, ipso Pontificatus officio, cogimur generali hosti, quibus valemus viribus, obviare.*

[a] lib. 10. Indict. 5. Epist. 30.

[b] Lib 2. Indict. 10. Ep. 33.

Sed

Sed en quàm latè pateat, & quousq; se extendere visa est Gregorio Magno Potestas Petri: [a] *Cunctis* (ait ille) *Evangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est; — Cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus committitur, & tamen Universalis Apostolus non vocatur: Et tamen Joannes* (Constantinopolitanus Patriarcha) *vocari Universalis Episcopus conatur! Exclamare compellor, ac dicere: O tempora, ò mores!* En ergo, quàm clarè patet, adversarios nostros ad Papæ Romani exceptionem præscriptionis infirmandam subdolè nobiscum agere voluisse, nobis nempè objectando testimonium Divi Gregorii Papæ, quo vix alius inter tot Summos Pontifices extitit solertior, atque fortior Oecumenicæ Pontificiæ Potestatis Propugnator. Sed sanè, ut parum

[a] lib. 4. Ep. 32.

sit

ſit, omnes, quotquot Lutheranæ, Calviniæve perfidiæ litarunt, more pecudum duci ad hoc, vel illud Scripturæ, Sanctorumve Patrum testimonium proclamandum è cathedra, vel ſuggeſtu, tanquam ſibi favens, ſtatim atque illud apud ſuarum ſectarum Anteſignanos recenſeri vidit; miror tamen eò etiam erroris arreptũ fuiſſe *Duarenum*, Virum aliàs de Univerſo Jure benemeritum, ut Divi Gregorii ſententiam non aliter ac rabidorum Lutheranorum, verſipellium que Calvinianorum vulgus aſſolet, interpretaretur; quaſi non conſuli potuiſſent ſexcenta ferè alia Divi Gregorii loca, ubi Oecumenicus Hierarchiæ Chriſtianæ Principatus aſſeritur Papæ Romano.

10. Quid, quod magis, magiſq; in hac bona poſſidendi fide confirmati fuerunt Summi Pontifices ob conſtantem, unanimemque conſenſum Virorũ non doctrina modò, sed

&

& pietate pariter illustrium? Quippè satis hactenus constat ex iis, quæ in præcedentibus capitibus ostensa sũt, à Sanctis Patribus, atque Conciliis Generalibus primorum quinque seculorum Principatui Oecumenico S. Petri Apostoli, ejusque successorum acclamatum fuisse; nunc verò reliquum est, ut ostendamus, neminem tam effrontem, atque improbum esse posse, qui non fateatur, recentiores etiam Sanctos Patres in antiquiorum sententiam ivisse, quantum ad Petri Primatum attinet; Enimverò inter eos, qui ab anno *451* usq; ad *1558*, nimirùm à Concilio Chalcedonensi, usque ad conclusionem Concilii Tridentini, non minùs de sua doctrina, quàm de suorum morum probitate, summam laudem sunt consecuti, jure quidem optimo, quin & ipsorum hæreticorum suffragiis, primas tenent *Gregorius* Magnus, qui etiam ad Papatum usque evectus est anno *590*:

Tum

Tum Divus *Joannes Damascenus* sanctitate, miraculis, elaboratisq; in Sacras Literas commentariis admodum clarus circa annum *730.*, quo etiam tempore floruit Venerabilis *Beda*: Deindè, longo nimis interjecto annorum intervallo Divus *Anshelmus* Episcopus Cantuariensis, qui diem suum obiit anno *1109*: Hunc paucis elapsis annis subsecutus est Divus *Bernhardus* Abbas Clarevallensis: demùm verò anno *1274.* dum nempè celebrata est Lugduni Synodus Oecumenica pro unione Græcorum cũ Latinis, contigit mors Sanctorum Ecclesiæ Doctorum *Bonaventuræ*, & *Thomæ* Aquinatis: illius quidem in ipso celebrando Concilio, cui, tanquam Cardinalis, & Episcopus Albanensis intererat; hujus verò in itinere, cui jussu Gregorii Papæ Decimi, se commiserat ad ipsum idem Concilium celebrandũ. Quòd si jam recentiorum horũ Sanctorum

ctorum Patrum, quorum vitæ saltèm probitatem nec ipsi Protestantes ausi sunt suggillare, testimonia sunt huc afferenda; de Divo quidem Gregorio Magno, præter ea, quæ de illo nuper recensuimus, legimus etiam, ipsum, ut Divi Petri Primatum tueretur, atque unà Joannis Patriarchæ Cōstantinopolitani conatibus temerariis iretur obviam, dixisse: [a] *Certè Petrus Apostolus primum membrum* (nempè Caput) *Sanctæ, & Universalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Joannes quid aliud, quàm singularium sunt plebium* (hoc est singularium cœtuum, Ecclesiarumve) *capita? Et tamen sub uno Capite* (Petro) *omnes* (Apostoli) *membra sunt Ecclesiæ* (Universalis) Atque alibi de Petro: [b] *Ecce* (ait) *Claves Regni Cœlestis accipit, potestas ei ligandi, & solvendi tribuitur. Cura ei totius Ecclesiæ, & Principatus committitur.* Ità GREGORIUS Magnus.

a lib.4. Ep. 38.

b lib.4. Ep. 32.

Sed

Sed multum hinc certè roboris, ac firmitatis acceſſit Catholicorum ſententiæ de Papæ Rom. Oecumenica Poteſtate; Exindè enim nullũ Conc. Generale coactum, ac celebratum eſt, quod non manifeſtè, atque arbitratu suo indiceret ipſe Romanus Pontifex, & cui is, vel per ſe, vel per Legatos ſuos non modò præſideret, verùm etiam Judiciariam Auctoritatem inferret. DAMASCENUS portò minimè se diffiteri scribit,[a] *Petrum dignum Eccleſiæ Præſidem à Chriſto prædeſtinatum eſſe, eique factam revelationem, tanquam qui Princeps futurus erat, & totius Eccleſiæ clavum ſuſcepturus.* Hæc Damaſcenus: Cui ſtatim ſuffragatus eſt BEDA, dicens, quòd [b] *Beatus Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, verò eſt amore ſecutus, ſpecialiter Claves Regni Cœlorum, & Principatum Judiciariæ Poteſtatis accepit.* Neque deindè aliter,

[a] Orat. de Transfigu. Domini.

[b] Homil. in f. ſto Petri, & Pauli.

ſtatu.

ſtatutum fuit ANSHELMO; quippè qui rationem addidit in Commentariis in Matthæum, (ſi tamen is eorũ Auctor eſt) quarè nam Chriſtus voluerit, ut ad Monarchiam potius, quàm ad aliud Reipublicæ genus accederet Chriſtiana Hierarchia:[a] *Eam* (dicens) *Poteſtatem ideò quaſi uni Petro conceſſit ſpecialiter, ut ad Unitatem nos invitaret. Ideo enim eum Principem Apoſtolorum inſtituit, ut Eccleſia quaſi unũ principalem Vicarium Chriſti haberet, ad quem diverſa Eccleſiæ membra recurrerent, ſi fortè á ſe diſſentirent; Quoniam, ſi diverſa eſſent capita in Eccleſia; unitatis vincula rumperentur per diverſa ſchiſmata.* Sed, ut demus, Cõmentaria in Matthæum, non eſſe genuinum opus Divi Anshelmi: certũ tamen eſt, ANSHELMUM, his, & nõ aliis verbis exorſum fuiſſe Diſſertationem ſuam *De Incarnatione Verbi* ad *Urbanum Secundum*, nimirùm,

[a] Cõment. in Matth. 16. pag. m. 162. edit. Antuerp.

Domino,

Domino, & Patri Universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summo Pontifici Urbano, Frater Anshelmus &c. Consulantur, si lubet, *Edinerus* in ejus vita, & *Dodechinus* in Chronico. Deindè verò BERNHARDUS in Epistola, quam scripsit ad Eugeniũ Papam hujus nominis Tertium,[a] *Locus* (ait) *in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorũ, ubi steterunt pedes eius, locus illius est, quem constituit Dominus Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.* Atque postremò nemo ambigit, Antiquorum sententiæ, de Principatu Oecumenico Papæ Romani, Bonauenturam, & Thomam suum etiam ipsos demum addidisse calculum; ait enim Divus BONAVENTURA: [b] *Quod enim in Ecclesia aliquis habeat potestatem, hoc est ab ipso Christo, qui potestatem contulit Apostolis, & præcipuè ipsi Petro: utramq;*

[a] Epist. 237 ad Eugen. pa. m. 1589

[b] lib. 4. Sēt. dist. 18. q. 3

 enim

enim Dominus ipsi Petro contulit Potestatem, & ligandi, & solvendi in foro pœnitentiali, & ligandi, & solvendi in foro judiciali. Sed [a] *Ostenditur etiam* (à Divo THOMA Aquinate) *quod Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petri successor in eadem Potestate ei á Christo collata.*

[a] lib. 1. cōtra error. Græc. cap. 32.

11. Demum superest, ut de continuatione possessionis id potissimū addamus, nempè, quod, tametsi (*l. 2. C. de præscr. long. temp.*) *longi temporis præscriptio* nonnisi *his, qui bona fide acceptam possessionem, & continuatam, nec interruptam inquietudine litis tenuerunt, solet patrocinari*; adeò quidem, ut (*l. 10. C. eod.*) *Nec bona fide possessionem adeptis longi temporis, præscriptio, post moram litis contestata completa, proficiat*: atque adeò cum non semel Græci, & Afri, atque deindè Protestantes litem intenderent Papæ Romano de

injusta

injuſta hujuſmodi Poteſtatis Oecumenicæ poſſeſſione, necnon iterum, atque iterum ejuſmodi lis fuerit conteſtata; Verba tamen allatarum legum, ſicut & ejus, qua conſtituit Juſtinianus (*l. ut perfectiùs, C. de annal. except.*) interrumpi Uſucapionem judicio accepto, ſivè per litis conteſtationem, atque adeò per oblationem libelli, ſic eſſe intelligenda, ut rectè monet FRANC. BALDUINUS, [a] *Non quod revera Uſucapionis progreſſio impediatur, sed, quod uſucapio, pendente judicio, completa, non proſit poſſeſſori, ſi adverſus eum ſententia feratur, & nihilominus vindicanti domino, res ſit reſtituenda.* Atque hùc etiam ſpectat Reſcriptum Diocletiani (*l. more litis, C. de rei vindic.*) ubi *Gloſſa* caſum proponit, nimirùm, „ Si fundum ad me pertinentem per *9.* annos, & dimidium „poſſediſti: demum cum incepi vindicare, & lite pendente, completum

[a] lib. 2. tit. 6. pag. m. 208.

„ſit decennium, an tempus, quod cur„rit poſt litis conteſtationem, tibi pro„ficiat, quòmagis videaris præſcriptio„nem compleviſſe, quæritur? Reſ„pondetur, quod non. Itaq; niſi demum Uſucapiens cauſa ceciderit, nũquam extinguitur jus Præſcriptionis, & litis conteſtatio eo dumtaxat casu tantundem temporis decurſi detrahit ipſi poſſeſſioni, quantum in lite diſcutienda, & dirimenda eſt elapſum, quando nempè juſta lata ſententia, repellitur Uſucapiens à poſſeſſione. Contrà verò, ſi non bonæ fidei poſſeſſor, sed potiùs ille, qui litem ipſi intenderat, cauſa cadat, poſſeſſio uſucapientis haudquaquam mutilanda erit tempore, quod à cauſæ principio, uſq; ad ejus deciſionem decurſum eſt; Siquidem, ut ait [a] CUJACIUS, *Omiſſa lite, uſucapio eſt efficax: Condemnatio tamen ſi ſequatur, eſt inefficax Uſucapio* (*l ſi poſt, ff de rei vind.* item *l. 2. ff. pro donato*, atque *l Julianus*

[a] ad l. 2. ff. pro Emptore.

lianus, § *quantum*, *ff ad exhib.*)
Jam verò, ubi toties Pontifices Romani postulati sunt usurpatæ Jurisdictionis ab antiquis, & modernis hæreticis; non modò ipsos Pontifices hujus criminis reos non peregere Concilia Generalia; verùm etiam horum Decretò Oecumenica Hierarchię Christianæ Potestas illis adjudicata est, adeò quidem, ut Summus Pontifex, præter Jus Divinum ab ipso Christo traditum in Evangelio, non solùm *exceptione Præscriptionis* (quod in hoc Theoremate est demōstratum), sed etiam (quod speciatim in Theoremate sequenti ostendam) titulo *de re vindicata*, in sua justa, antiquissima, continua, optimæque fidei possessione roboretur.

THEOREMA VIII.

Oecumenicus Hierarchiæ Principatus asseritur Pontifici Romano exceptione rei judicatæ.

1. HActenus & ex Jure Divino, & ex unanimi consensu totius Ecclesiæ primorum quinque seculorum, suffragiisq; veterum Sanctorum Patrum, atque ex præscriptione temporis supra hominum memoriam decursi, demonstrasse mihi videor, Papam Romanum esse Caput, Summum Pontificem, Supremumq; Judicem Hierarchiæ Christianæ. Verùm, ut demus, nondum ad hujus Controversiæ decisionem perventum esse, nec dum causa cecidisse adversarios nostros, sed etiamnum fervere litem, vel etiamsi ab aliquibus judicibus sententia lata sit, remanere tamen adhuc

jus

jus ad Supremum Ecclesiæ Magistratum provocandi: Ut demus (inquā) hoc; quod nam tamen Tribunal Protestantes appellabunt? Nonnè Concilium Generale? Ehodum ergo Heideggere, nonnè tibi Papa visus est Monstrum ingens, cui lumen ademptum, Antichristus, cornuta bestia, longè pejor ethnico, & publicano? quidni ergo servas mandatum, quod tibi Christus in Euangelio tradidit?[a] *Dic Ecclesiæ*. Nunquid vereris illi dicam scribere, ipsumq; usurpatæ jurisdictionis reum ad Ecclesiā deferre? *Dic Ecclesiæ*. Sed ubi, ubi sunt ii, qui Ecclesiam repræsentant? Divus CHRYSOSTOMUS indicabit, dicens: [b] *Dic Ecclesiæ Præsulibus, & Præsidentibus*; hi enim Ecclesiam repræsentant. Et, si non fidis his, vel illis Præsulibus; dic toti Concilio Generali. Nam aliàs, si judicio hujus, vel illius privati hominis standum sit, nunquam certè litium erit finis.

[a] Matth. c. 18. v. 17.

[b] Hom. 61. in Matth. pag. 448. tomi 2.

Atque id ſatis experti ſunt ipſi jidem Proteſtantes; undè enim aliàs atrox illud, & Homerianâ Batrachomyomachiâ famoſius bellum, quod ipſi vocant Sacramentarium, peractum Marburgi, ubi hinc Zuinglius, & Oecolampadius, illinc Lutherus, & Melanchton acriter, pro ſua opinione unuſquiſque dimicarunt, moxq; ſibi mutuò nomen, & ſcripta canino dente proſcindentes, & ſe invicem nonniſi diro anathemate conſalutantes, excuſſerunt patronis, clientuliſque ſuis lacrymas, & Eraſmo riſum? Nunc verò quot ſectæ, quot deliria! Se mutuò laceſſunt inter Calvinianos Coccejani, & Mareſiani; Proteſtantes, & Remonſtrantes: Epiſcopales, & Puritani; quod ſatis certè teſtantur ſcripta Mareſij, & Viticchii. E' Lutheranis verò prodiere Molles ſub Melanchtone, atq; Rigidi ſub Vigando, & Illyrico, tum Oſiandriſtæ, Majoriſtæ, & Muſculani. Neq; de cætero

tero quis credat, inter istos tricones ea tantùm esse jurgia, quæ in Ecclesia Romana Thomistas, atque Scotistas intercedunt: Non ità sanè; nam apud nos [a] *Unum caput est* (ut verbis utar Divi CYPRIANI) *& origo una, & una mater, fœcunditatis successibus copiosa: illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur*. Contra verò LUCAS OSIANDER Lutheranus de Calvinianis, ait, quod [b] *vario, sed vafro modo veritatem cœlestem obscurare nituntur*. HOTTINGERUS verò Calvinianus de Lutheranis testatur, quod [c] *Talem Lutherani in Cœna Domini præsentiam Corporis urgent, quæ & toti Sacræ Scripturæ, & fidei analogiæ, & puriori antiquitati repugnat*. O miseram rixosorum hominum colluviem! O impudentissimum hominum genus! Quot monstra, quot captiones, quot tricæ! De illis sanè rectè dixeris

[a] lib. de simplicit. Prælat. pag. m. 72. edit. Foucher.

[b] Enchirid. controv. cap. 1. de Cœna Dñi

[c] apud Heidegg. n. 5.

quod

quod olim de antiquis hæreticis Divus AUGUSTINUS:[a] *Dißenserunt à Magistris discipuli, & inter se condiscipuli, quia ut homines humanis sensibus, & humanis ratiocinationibus ista quæsierunt.* Quî ergo fieri potest, ut Populus Christianus id genus hominibus se committat? Si ergo Papa Romanus Antichristianismi (ut ità loquar), tyrannidis, usurpatæve jurisdictionis deferendus erat; cur non provocatum est ad Ecclesiã? *Dic Ecclesiæ:* dic Sacrosancto Concilio Generali.

a lib. 18. de Civit. cap. 41.

2. At at ubi, & quandonam celebratum est in Ecclesia Christiana Concilium Generale, cui non præsederit, atque ut Summus Hierarcha, judiciariam Potestatem intulerit Papa Romanus? Quomodo ergo usurpati Principatus Oecumenici reus deferetur Papa ad Concilium Generale, quod ultrò id muneris illi cedit, & in quo ille, consentientibus planè omnibus

nibus, & singulis Patribus Conscriptis, Apostolica propriæ Sedis Auctoritate innixus, Patriarchas, & Episcopos creat, & deponit, in hæreticos animadvertit, atq; decernit quid credendum, quid ejurandum? Cæterũ hic nos non loquimur de Synodis illis, quæ Genevæ, aut Dordraci coactæ sunt ab hominum fœce, sed de Magnis, Oecumenicisque Conciliis, quibus interfuerũt Imperatores, atq; Patriarchæ, & Episcopi totius Orbis Christiani, & selectissima Doctorum manus, De quatuor quidem primis Conciliis Generalibus, sat visum, quid in illis de Summo Ecclesiæ Magistratu dictum, actumve sit; Nunc verò superest dispiciendum, quisnam reliquorum extiterit Princeps, & Moderator.

3. Quintum Concilium Generale celebratum est Constantinopoli anno 553. cui (teste Zonara in vita Iustiniani) *interfuerunt centum sexaginta*

xagintaquinque Patres, quorũ Princeps fuit Vigilius Papa Romanus. Neque verò hic tres Orientis Patriarchæ cum Papa Romano conferendi sunt, siquidem, quicquid obstrepet *Mornæus*, legimus in Actis hujus Concilii scripsisse omnes vnà Patres ad Papam Vigilium, dicentes [a] *Petimus, præsidente nobis vestra Beatitudine, de tribus Capitulis quæri, & conferri*. Præsidebat autem Vigilius, sed nonnisi per Legatos suos. Externa, vel per se, vel per alios moderabatur Justinianus Imperator, qui de cætero, quanquam eum nonnulli conati sint ab obedientia Romanorum Pontificum divellere, non sanè quicquam ausus est Oecumenico illorum Principatui derogare; quinimò jam extat in ipso Jure Civili quidnam hac de re statutum fuerit Justiniano: Quippè is (*l nos reddentes de Summa Trinit.*) ad Summum Pontificẽ Joannem Tertium scribens: *Nos* (ait)

[a] Epist. Synod. ad Vigiliũ Pap.

(ait) *reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & Vestræ Sanctitati (quod sẽper nobis in voto & fuit, & est) & ut decet Patrem, honorantes Vestrã Beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre Vestræ Sanctitatis.* — *Idcòque omnes Sacerdotes universi Orientalis tractus*, ET SUBJICERE, ET UNIRE *Sedi Vestræ Sanctitatis properavimus.* — *Nec enim patimur, quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam Vestræ innotescat Sanctitati, quæ* CAPUT *est omnium Sanctarum Ecclesiarum.*

4. SEXTUM Concilium Generale coactum etiam est Constantinopoli contra *Monothelitas* anno *680.* Externis operam suam navabat Imperator Constantinus Pogonatus, sed Concilio præsidebat, potestatemque judiciariam inferebat Agatho Papa

per

per Legatos suos. Id quidem patet ex Actis ipsius Concilii, & potissimũ ex ejus Epistola Synodica ad Agathonem, ubi hæc leguntur. *Tibi, ut Primæ Sedis Antistiti Universalis Ecclesiæ, quid gerendum sit, permittimus, stanti supra firmam Petram* — Et post multa. *Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clarè prædicavimus, quam etiam, ut* PER HONORABILIA VESTRA RESCRIPTA *confirmetis, Vestram oramus Paternam Sanctitatem.* Subscripserunt autem primi huic Epistolæ ipsi Patriarchæ. Quin etiam omnes unà Patres Concilii, Imperatorem alloquentes *Sũmus (aiunt) nobis concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis Successorem habuimus fautorem, & Divini Sacramenti mysteriũ illustrantem per literas* — *Charta, & atramentum videbatur, & per Agathonẽ Petrus loquebatur.*

5. SE-

5. SEPTIMUM Concilium Generale celebratum est Nicææ in Bithynia sub Adriano Primo Papa pro cultu Sacrarũ Imaginum anno 787. Interfuerunt 350. Episcopi vel per se, vel per suos Vicarios. Quantum verò ad Caput, atq; Præsidem Concilii attinet, scripserant jam Imperatores Cõstantinus, & Irenes ad Adrianum Primum Summum Pontificem ipsum rogantes, ut Synodo præsideret (quod certè legitur in *Sacra Divali*, eumq; vocantes *Verum*, *& primum Sacerdotem*, *& qui in loco*, *& Sede Sancti*, *& superlaudabilis Apostoli Petri præsideret*. Non modò autem Adriani Papæ Legatos Cõcilio præsedisse patet ex eo, quòd primi nominantur, & primi subscribũt; verùm etiam iidem ipsi Patres Concilii de sua Fidei professione scripserunt ad Papam, illi rerum omnium, quæ gestæ fuerãt, rationes reddentes, & dicentes: [a] *Prædicabatur à nobis omni*

[a] Tarasius Patriarcha in Epist. ad Adrian. P.

omnibus, qui beneplacito Dei congregati eramus, recta, & irreprehensibilis confessio, quæ nobis missa est á vobis.

6. OCTAVUM Concilium Generale ſub Adriano Secundo Papa celebratum eſt Conſtantinopoli anno 867. contra Iconomachos. Interfuit Baſilius Imperator externa moderando. De Præſide verò Concilii hæc leguntur in principio Act. 1. *Hîc primò Synodus exegit á Legatis Romanæ Sedis literas, quibus notam facerent Poteſtatem ſuam, vt præſiderent in Synodo.* Tum in Act. 4. ſic legitur: *Vicarii ſenioris Romæ, qui in Synodo præſidebant.* Atqui (teſte ANASTASIO, qui Synodo interfuit) *Baſilius* Imperator his quidem verbis Legatos Papæ allocutus eſt [a] *Nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis, atq; Epiſcopis cenſuram Sanctæ Matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ per biennium præſto-*

a Anaſt. in Adriano 2.

lantes

ſtolantes propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur.

7. Hactenus ex Conciliis Generalibus, quæ apud Græcos celebrata ſunt, ea tantum, & quidem leviter, tetigimus, undè ſatis ſuperq; pateat ab octo allatis Conciliis Oecumenicis, Oecumenicum Eccleſiæ Principatũ fuiſſe non modo non controverſum, verùm etiam omninò adjudicatum Papæ Romano. Quis verò diffitebitur, idipſum luculentiſſimè patere ex Actis Conciliorum Generalium NONI, DECIMI, UNDECIMI, atq; DUODECIMI, quæ à Sũmis Pontificibus indicta, & celebrata ſunt in ipſorum Baſilica Lateranenſi? Id tamen lubet adnotare, (ſaltem, ut cum deridiculis Lutheranorum, Calvinianorumve Synodis, quæ rectiùs lymphaticorũ hominũ conventicula dixeris, veræ, atque magnæ Synodi Oecumenicæ conferantur): hæc, extare de primo Concilio Lateranenſi in Chronico

[a] in Chron. ad an. 1120 *Abbatis Usbergensis;*[a] *Concilio Papa Calixtus Secundus vallatus 900. Patribus coram innumera multitudine Cleri, ac populi præsedit.* Tum de secundo Concilio Lateranensi scripsisse *Ottonem Frisigensem*, quòd[b] *Synodus maxima circiter 1000. Episcoporum, præsidente Romæ Summo Pontifice Innocentio Secundo, celebrata est.* De tertio verò Concilio Lateranensi retulisse *Matthæum Parisiensem*, ad annum *1179.* quod[c] *Eodem anno habitum est Concilium generale 310. Episcoporum in Patriarchio Lateranensi, cui præsedit D. Papa Alexander Tertius.* Postremò apud eundem Auctorem hæc legi de quarto Concilio Lateranensi:[d] *Anno 1215. celebrata est Romæ Sancta, & Universalis Synodus — præsidente Papa D. Innocentio Tertio — Interfuerunt Patriarcha Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, Antiocheni item, & Alexandrini*

[b] lib. 7. cap. 23.

[c] Matth. Paris. ad ann. 1179.

[d] Idem ad ann. 1215.

drini Legati — Legati etiam Imperatoris Constantinopolitani, Regis Siciliæ, Franciæ, Angliæ, Ungariæ, & aliorum.

8. Demum verò, cùm nemo refragetur, in reliquis, quæ subsequuntur, Synodis Oecumenicis Papā Romanum Præsidis, atque Summi Hierarcæ munus obiisse, nihil certè reliquum est, nisi, ut se undiq; causa cecidisse confiteantur nostri adversarii. Nam quæ præterea de Concilio Constantiensi, deq; Conciliabulo Basiliēsi nobis objectantur, illa nihil sanè ad rem faciunt: Nihil enim Summo Pontifici de Principatu ipsius Oecumenico detractum voluit Concilium Costantiense; Imò verò in hujusmodi Concilio [a] damnata est Propositio JOANNIS VVICLEPHI, quæ sic habet: *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias:* atq; illa etiam Propositio JOAN. HUSSI,

[a] Concil. Cōst. sess. ultim.

nimirùm: *Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum Caput in spiritualibus regens Ecclesiã, quòd semper cum ipsa Ecclesia Militante conversetur, & conservetur.* Conciliabulo autem Basiliensi se opposuit Magna, & Generalis Synodus Florẽtina, cui interfuit tota Ecclesia Latina, & Græca unà cum Joanne Paleologo Imperatore. Declaravit autem hoc Generale Concilium, quòd a *Nulla rata est, nec unquam erit Synodus Generalis, quæ Summi Pontificis nõ fuerit Auctoritate suffulta.* Atq; de Papæ Primatu sic statuit: b *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apost. & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omniũ Christianorũ Patrem, & Doctorem existere.*

a Concil. Flor. Sess. 16.

b Sess. vlt.

9. Ità ergo demum quisquis Ro-

manum

manũ Pontificem de tyrannide, uſurpatove Principatu Oecumenico poſtulare auſus fuerit, repelletur extemplo *Exceptione rei judicatæ*, ut loquitur DUARENUS; Siquidem, (*l 1 ff. de re judicata*) *Res judicata dicitur; quæ finem controverſiarum pronunciatione Judicis accepit*. Cæterum, ut apud CUJACIUM docet PAULUS, (*5. ſent. tit. 5. § 1.*) *Res judicatæ videntur ab his, qui imperium poteſtatemq; habent*: Et quandoquidem Synodus Oecumenica legitimè indicta, & celebrata imperium, poteſtatemq; habet decernendi, atque judidicium ferendi de iis, quæ pertinent ad Hierarchiæ regimen, & diſciplinam: atq; ab omnibus, & ſingulis Synodis Oecumenicis Principatus totius Chriſtianæ Hierarchiæ Pontifici Romano adjudicatus eſt; hinc litiũ conteſtationibus omnes planè præcluduntur aditus; Exindè enim (ut rectè monet DUARENUS,)[a] Exceptio rei

[a] Prælect. 1. in ff. de re judicata.

rei judicatæ vulgò *dicitur litis finitæ exceptio*, quia nempè *res judicata ad finiendas lites pertinet*.

10. Atq; hactenus, & Iure Divino, & consensu Antiquorū æquè ac recentiorum Sanctorum Patrū, Conciliorumq; Generalium, atq; jure etiā Cæsareo, necnon exceptione Præscriptionis non modò, sed & rei judicatæ, innixam esse ostendimus Potestatē S. Sedis Apost. ipsiq; objectum tyrannidis crimen diluendo, fraudes etiam, dolosq; adversariorum deteximus, calumniam depulimus, impetū propulsavimus. Id autem hic de me, deque mea Fidei Professione adjicere lubet, quod quantum ad me attinet; [a] *In Ecclesia Catholica tenet me* (ut iterum, iterumq; verbis utar Sancti Patris AUGUSTINI) *consensio populorum, atque gentium, tenet Auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa SEDE PETRI*

a l. contra Epist. fundam. cap. 4

Apo-

Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendavit, uſq; ad præſentem Epiſcopatũ, ſucceſſio Sacerdotum; tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.

LAUS DEO.